







ORNATVS ECCLESIASTICVS
HOC EST:
COMPENDIVM PRAECIPVARVM
RERVM, QVIBVS QVAEVIS RITE DECENTERQVE COMPOSITÆ ECCLESIÆ EXORNARI, AC REDIMIRI DEBENT:

omnibus Ecclesiarum Prælatis & Rectoribus, per totam RATISBONENSEM Diœcesin cum primis necessarium, latinè & germanicè, adiectis etiam quarundam suppellectilium figuris: conscriptum,


A IACOBO MYLLERO SS. THEOL. DOCTORE, NECNON eiusdem Ecclesiæ & Episcopatus Ratisbonensis Vicario Apostolico, &c.



RELLIGIO, sacros cultus: ASTREA, requirit
Fas: LEO, vim: Galeæ, gemma, corona; caput.
Multicolor, captat Virtutes, stemma superstes.
VNVS sat cunctis, magne PHILIPPE, facis.

MONACHII, Ex Officina Typographica ADAMI BERG.

Anno Domini M D XCI



AGGAEI I. CAP.

Hæc dicit Dominus exercituum. Ponite corda vestra super vias vestras. seminastis multum & intulistis parum, comedistis & non estis saturati, bibistis, & non estis inebriati, operuistis vos, & non estis calefacti: & qui merces congregauit, misit eas in sacculum pertusum. respexistis ad amplius, & ecce factum est minus, intulistis in domum & exufflaui illud. Quam ob causam dicit Dominus exercituum? Quia domus mea deserta est, & vos festinatis vnusquisque in domum suam.

REVEREN-DISSIMO AC SERE-NISSIMO PRINCIPI AC DOMI-NO, DOMINO PHILIPPO EPISCOPO

Ratisbonensi, Comiti Palatino Rheni, vtriusque Bauariæ Duci, &c. Domino suo clementissimo,

IACOBVS MYLLERVS VICARIVS Ratisbonensis æternam precatur fœlicitatem.



VI vel summis, quod aiunt labris, veteris instrumenti libros degustauit, actáque euoluit, R.^me ac Ser.^me Princeps, fateatur necesse est, populum Israeliticum illum, quem Dominus ex omnibus nationibus assumere, super alas aquilarum portare, & de cunctis populis peculium suum vocare dignatus est, plurimis iisque grauissimis ac pene inexpiabilibus, contra eundem tàm libe-

Exod. 19.

 ralem



ralem, munificum & pientiſsimum patrem Deum ac Creatorē in animæ ſuæ & corporis perpetuam perniciem, ſeſe, tàm impiè quàm ingratè ſceleribus obſtrinxiſse. Quē enim fugere poteſt, vt ex multis pauca attingā, nefas illud horrendum in ſolitudine ad radicem montis Sinai patratum, cùm populus ille ingratus, magnorum illorum mirabilium & oſtentorum, diuina prorſus potentia & maieſtate, in Aegypto coram Pharaone, quo eundem populum ſuum, duro illo ſeruitutis iugo abſolueret, & in libertatem aſsereret editorum oblitus, ac morulæ Moyſis pertæſus, vitulo ex auro conflato diuinos tribuerent honores, ſacrificantes & choros ducentes blaſphemis vocibus acclamātes: Hi ſunt Dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Aegypti. id quod cauſæ fuit, vt eodem

Exod. 32.

die

die viginti tria hominum millia de po-
pulo caderent, Deo nihilominus poe- *Exod.15.*
nam tanti sceleris in vltionis diem sibi *16.17.*
reseruante. Aliâs quoq; frequenter con-
tra Deum & Moysen, iam de pane, *Num.20.*
nunc de carnibus, paulò pòst de aqua, *21.*
murmurarunt ac in stultas lachrymas re- *Num.11.*
soluti, carnium ollas, Aegyptiacos cu-
cumeres, pepones, porra & allia coele-
sti pani præposuerunt: quæ illis & hisce
maiora fidissimus illorum Dux Moy- *Deut.32.*
ses iam iam moriturus, & paulò pòst e-
tiam Regius Psaltes in faciem expro- *Psal.104.*
brat, pro sua ipsorum confusione. *105.106.*

Nec multum à parentibus filij dege-
nerarunt. quot enim & quam grauia sub
Regibus suis postmodũ flagitia commi
serint, & sacra eorundem Regum histo
ria & alij duo ab impio Ieroboam erecti
vituli aurei, & tùm Baal tùm aliorũ mõ- *Psal.105.*

ſtroſorum DEORVM, quibus etiã filios & filias ſacrificarunt innocentem funden-tes ſanguinem, cultus abundè teſtatur.

Etſi verò hæc omnia illius ſint impie-tatis, vt nihil addi poſse videatur: Ag-gæus tamen Propheta eidem populo i-ram Dei, & pœnæ præſentis culpam an-nunciaturus hæc omnia ſicco pede tran-ſit, ac ſolam & vnicam ceu quid longè ſceleſtius, cultus diuini & reſtaurandæ domus Domini negligentiam & ſocor-diam in medium adfert, aſserens, illos eo ſeminare multum & inferre parum, co-medere & non ſatiari, bibere & non inebriari, operiri & non calefieri, colle-ctas mercedes mittere in ſacculum per-tuſum, reſpicere ad amplius & fieri mi-nus, inferre in domum & illico exuffla-ri, prohiberi quoque cœlum ne rorem, terram, ne germẽ ſuum daret: vocatam

deni-

denique ſiccitatem ſuper terram, montes triticum, vinum, oleum, homines & iumenta, quod domus Dei deſerta ſit & vnuſquiſque feſtinet in domum ſuam.

Quod ſi ſanctiſsimus ille Propheta à vero non aberrauit, vt iure non aberrauit, quis adeo hebes & rudis erit, qui nõ facile intelligat hanc eandem eſse cauſam tot tantorumque ſæculi noſtri afflictiſsimi impendentium malorum, calamitatum & miſeriarum? An ne verum eſt & hodie nos multum ſeminare, at parum inferre, comedere & non ſatiari, vocatámque ſiccitatem ſuper terram homines & iumenta? Vtinam tàm verum non eſset, verùm, verum eſt: at ſummo ſalutis noſtræ diſcrimine verũ eſt. Facit quippe tam ſupina hominum quorundam in domo Dei exornanda, væcordia & tenacitas, in arcibus verò altis

&

& ſumptuoſiſsimis excitandis ædibus, quas inhabitent, ſolertia & effuſa prodigalitas, vt iuſto Dei iudicio cum templis ipſis & fides & religio à nobis auferatur, & genti fructum facienti offeratur.

Quæ cum ita ſint vt nemo ſanæ mentis inficias ire poteſt, & ego anno ſuperiore, pro munere meo, loco & nomine Ser.^mæ Celſ.^nis Tuæ, humeris meis licet onus impar à S. D. N. Pōtifice Maximo impoſito, aliquas huius ſuæ Dioeceſis Eccleſias viſitarem, viderémque, & magno certè animi mei dolore, multíſque ſuſpiriis & lachrymis aſpicerem domum Domini in pleríſque locis, non modo neglectam iacere, ſed præſentem ruinā minitari, ſtatui pro virili mea, ad præcauenda imminentia mala, & promouendā animarum Ser.^mæ Celſ.^nis Tuæ

com-

commissarum salutem, tanto incommo-
do maturius, opportunis occurrere re-
mediis. Reuocatis itaque in mentem,
depræhensis erroribus, & videns quod
multi ignorarent, quo quidq; ordine &
modo conficiendum esset, hunc quem
Ser. Cels. Tuæ humillimè nuncupo, li-
bellum conscripsi, in quo præcipua, vt
reor, quæ ad simplicium Ecclesiarũ cul-
tum & ornatum spectant, breuibus &
paucis Latino & Germanico idiomate,
adiectis etiam nonnullarum rerũ figuris
complexus sum: Demissè & enixè Ser.
Cels. Tuam rogans, vt eundem sua au-
ctoritate probare, cõsilio tueri, auxilio
defendere, & pro insigni, quo flagrat
zelo in religionẽ Catholicam, in lucem
edere non dedignetur. Ego certè pro
talento mihi credito, pro hisce anima-
bus lucrandis & conseruandis, lubens

laborem omnem impēdam, & ipse quoque super impēdar, nec vnquam aliquid vel minimum eorum, quæ ad spiritualem illarum profectum spectare dignoscuntur, in me desiderari patiar. Vale R.^{me} ac Ser.^{me} Princeps, quem Deus gratia sua quàm diutissimè florentem conseruet ac tueatur. Ratisbonæ Calend. Maij, die SS. Apostolorum Philippi & Iacobi, Anno millesimo quingentesimo nonagesimo.

R.^{mæ} ac Ser.^{mæ} Cels. Tuæ

Humillimus Sacellanus

Iacobus Müllerus Vicarius Ratisbonensis.

PHILIPPVS DIVINA GRATIA CONFIRMATVS EPISCOPVS Ratisbonenſis, Comes Palatinus Rheni, vtriuſque Bauariæ Dux, &c.

ADMODVM REVERENDO ET DOCTISSIMO VIRO, IACOBO Müllero, Epiſcopatus noſtri Ratisbonenſis in ſpiritualibus Vicario Apoſtolico, fideli & nobis ſincerè dilecto ſalutem.



T res & veritas ipſa concedit, vt librum illum tuum Chriſtianæ pietatis atque ſalutaris doctrinæ plenum, qui ornatus Eccleſiaſticus inſcribitur, non magni modò nos æſtimemus; ſed etiam omnium bonorum præconio celebrandum arbitremur. Vt enim cauſas, quibus ad ſcribendum iuſtiſsimis adductus es, ſilentio prætereamus, haud obſcurè perſpeximus, quàm in obeunda Diœceſi noſtra,

 ſtudium

ſtudium tuum diligens ac peruigil fuerit, quamq́ue nullus à te non ſuſceptus labor, qui ad rerum diuinarum cultum religioſè procurandum, atque ad Dei Opt. Max. gloriam amplificandam pertineret. Itaque nobis ſi aliâs vnquam in eam ingredi ſpem omninò nunc licet, fore, vt ex iſtoc per quam elaborato opere, non minus res Eccleſiaſtica, præſertim Ratisbonenſis, emolumentorum capiat: quam ex tua proxima viſitatione, communi approbatione, tùm rebus ſacris, tùm hominibus ipſis acceſsit. Quo in vtroque tuo erga nos ac Diœceſin noſtram merito, non te ſolum egregiè fidelem præbuiſti, ſed etiam prudentiæ laudem præ te ſummam tuliſti. Etenim in illa tua Eccleſiarum luſtratione, quod votis communibus expetebatur, cum rem Eccleſiaſticam, in priſtinum, quo ad fieri per te potuit, nitorem reſtituiſti: tum illa obita libro ſuper eodem argumento in lucem edito, rationem eiuſmodi reperiſti, vt Eccleſiaſticæ ſupellectilis Miniſtrorumq́ue ſacrorum mundities, integritas atque ſanctitas in perenni ſuo decore conſeruaretur. De reliquo verò monere te, nihil habemus neceſſe, vt in hoc pio tuo de Epiſcopatu noſtro benè merēdi ſtudio & ardore perſiſtas. Siquidem Deum

Deum Opt, Max. qui mandauit, ſacerdotibus quidem illud: Mundamini qui fertis vaſa Domini: *Exod. 52.* De ſacro autem apparatu; Omnia vaſa, quibus *Num. 4.* miniſtratur in ſanctuario, inuoluent hyacinthino pallio, &c. largè munificum experieris. Datum Ingolſtadij, decimaſexta Iulij, Anno Domini milleſimo quingenteſimo nonageſimo.

Philippus Epiſcopus
Ratisbonenſis, &c.

AD LECTOREM.



VM mens nostra, animique sententia in eo sit, vt illa omnia, quæ hoc libello continetur, etiam à simplicioribus & rudioribus intelligantur, de quibusdam, quæ lectorem nonnihil fortè morari possent, præmonere necessarium visum fuit. Primò itaque aduerte, candide lector, totum hunc libellum in decem titulos, iuxta materiarum diuersitatem esse distinctum, titulos autem in capita, hæc verò in paragraphos vel minuta quædam initia, ne tanta continuitas stomachum Lectori, vt assolet, moueret, esse subdiuisa. Capita tamen à principio totius operis, ad calcem vsque, non autem à tituli initio ad eiusdem finem numerauimus, vt hac nimirum ratione facilius citari, & adduci sine tituli mentione, poßint.

Secundò obseruabis nos paßim vna eademq; mensura (nisi quod semel aut iterum, in minutioribus duntaxat, digiti transuersi, nulli non noti, spacium adhibuerimus) palmi videlicet vsos fuisse, nam etsi quædam minuta, vncia; maiora cubito vel vlna mensurarentur exactius: quoniam tamen hæ mensuræ, non idem spacium apud omnes, metiuntur, illis omißis, palmi, quippe omnibus notißima, & cuiuis ad manum futura, vti satius esse duximus. Per palmam autem intelligimus tantum spacij, quantum vir annorum triginta, expansa manu, à pollicis initio vsque ad medij digiti finem mensurare potest.

Tertiò, stylo vt apparet, in vtraque lingua nos vsos esse communi, trito ac plano, cùm quia subiecta materia, quæ multas Barbaras voces, ineuitabiliter inuoluit, quæ etiam in translatione retineri debent, eo quod fortè extra Ecclesiam, quæ Tullianos flosculos, atque adeò nonnunquam etiam, Grammaticæ leges spernit, vsus illarum rerum nunquam fuerit, id requirere videbatur: tùm quia hoc modo legentium capacitate magis consultum esse arbitraremur. Vnde etiam factum est, quòd in translatione ex Latino in Germanicum, non solum verbum

verbo,

verbo, non reddiderimus, verum ne phrasin phrasi quidem, sed rem simpliciter ita vulgari lingua expreßimus, ac si Latino idiomate conscriptum nunquam fuisset, ordinem tamen eundem in vtraque lingua fideliter ac studiosè sequuti sumus.

Quartò nos esse in iis quæ præscripsimus, exactum vtcunq; formam habita huius Diœcesis ac Climatis ratione, assequi. Vnde quædam præcipimus, quædam vehementer petimus, quædam verò suademus duntaxat. Aliqua etiam multiuaria & pretiosa ponimus, quæ non à quibusuis Ecclesiis petimus, vt plerunque obiter monendo adiecimus, multa discretioni, zelo, ac pietati Prælatorum relinquentes.

Quinto non omnia quæ comparare iubemus, simul vno eodémque mense, à singulis Ecclesiis desiderari, sed vbi tenuiores sunt redditus, sufficit paulatim quædam, more prudentis œconomi, donec tandem copiosam habeant supellectilem, coëmere. Quare non est quod animum, vbi multa præscribi viderint, illico despondeant, spemq; omnem abiiciant, præsertim cum plurima sint, quæ exiguis admodum expensis haberi poßint.


Sextò, cum in processu operis aduerteremus, quædam ex his quæ præscripsimus, ab iis, qui vel tardioris sunt ingenij, vel pretiosiore supellectili instructas Ecclesias nunquam viderunt, quantacunque diligentia etiam vsque ad minutißima describantur, non nisi summa difficultate & operosè admodum intellecta fore, ne vel frustra, dum comparanda secus ac præscripta sunt coëmant, expensas faciant, vel mentem nostram & intentum Ecclesiæ cultum ac splendorem non assequantur, operæpretium putauimus, quædam vascula, instrumenta & supellectilia, illicò postquam descripta sunt, re ipsa quoque & in typo, figura vel idea picta, in germanico duntaxat exemplari (in quo etiam subinde, vno vel altero verbo adiecto, quædam in simplicium gratiam transferendo explicauimus & explicando transtulimus) oculis obiicere, vt sic & rudioribus essemus adiumento, & negligẽtium fucatas excusationes anteuerteremus.

Septimò

Septimò ne desides, socordiam suam ac profundum torporis sui somnum, vllo modo palliare valeant: præter huius libelli instructionem & figuras, nec non consuetas quotannis tàm per Decanos ordinarios, quàm per extraordinarios deputandos generales Visitatores, suscipiendas visitationes, in quibus num omnia ad præscriptum obseruentur, & fiant studiosè ac sollicitè explorabitur, Binos ternósue successiuis vicibus huc ad nos euocabimus, & illis cuncta ad diuinum cultum: sacras cæremonias, & Ecclesiæ splendorem spectantia, ex ordine & in praxi coràm, nos ipsi, quantum negotiorum moles & strepitus admittunt, lubenti animo, amicè ac beneuolè demonstrabimus. Quodsi verò cura & solicitudo, quibus ex officij nostri ratione premimur, id minus patietur: viris piis, doctis & hisce in rebus non minus versatis, vices nostras demandabimus, qui hoc idem pietatis officium, pari charitatis affectu, præstabunt. Quibus adhibitis mediis, in spem certam venimus, futurum, vt breui Ecclesiarum ornatus, diuini cultus splendor, cæremoniarum maiestas, & quicquid denique ad Dei maiorem gloriam, animarumq́ salutem pertinet, in integrum restituatur.

Vltimò tandem nota, quasdam nos hinc indè attigisse sacras cæremonias & ritus, earumq́ exactiorem traditionem in libellum quendam cæremoniarum reiecisse, eo quod deliberatum nobis sit, in proximo, si ita superis videbitur, & vita comes fuerit, Ratisbonensis Ecclesiæ cæremonias, & sacras obseruationes, in vnum colligere, atque vt omnibus ad manum esse poßint, & cultus diuinus vniformi ratione, per totam hanc Diœcesin peragatur, typis mandatas diuulgare. Interim quæ hic præscripsimus, studiose Lector, pro singulari tua in domum Dei eiusq́ decorem & ornatum, pietate ac religione, accuratè obseruabis, nostri in tuis sanctis Sacrificiis & orationibus memor. Vale.

Titulus




Titulus primus,

DE ECCLESIA ET EIVS PARTIBVS.

DE STRVCTVRA ET ſitu Eccleſiæ materialis.

CAPVT I.



QVAMVIS infœlici hoc ſeculo, plures ædes ſacras deſtrui quàm ædificari, vel hæreticorum perfidia, & ſacrilega rapacitate, vel Catholicorum tepore, & ſocordia, experientia (proh dolor) clarius quàm quod probatione indigeat, conſtet, quia tamen antiquum diuini cultus ſpendorem, ſacrarumq́ue cæremoniarum maieſtatem, in omnibus reducere, pro virili noſtra, iam pridem conſtituimus, hoc loco non ſolum qualiter ſancta, ſanctè ac religioſè intra Ec-

clesiam conseruanda sint, (licet hoc primo intendamus) verum etiam, quomodo ipsa quoque Ecclesiæ materialis structura ordinata esse debeat, quantum ad præsens sufficit, docere intendimus, vt hinc, si non vt noua ædificia excitanda, saltem quomodo iam olim maiorum nostrorum insigni pietate, & munificentia erecta, & vel temporum iniuria, vel vetustate collapsa, vel hominum improbitate, & incuria profanata, vel demum indecenter habita, pristino nitori restitui, & ad regulam, quantum fieri potest, accommodari debeant, forma habeatur & modus.

Ecclesiæ igitur situs ac structura si de nouo excitanda foret, quantum natura loci patitur, hæc erit. In loco eminentiori collocabitur, ita, vt quinq; saltem, vel tribus minimum gradibus ascendatur. quare si in quibusdam locis & Ecclesiis iamdudum ædificatis, terra & ruderibus adeò muri sint oppleti, vt ianuam vel adæquent vel superent, curabunt ij, quorum interest, illa, ni hoc fundamentis officeret, auferri & gradus ad portam instaurari.

Duo autem sunt, quæ ab Ecclesiæ tùm extruendæ, tùm iam ædificatæ vicinia, remota esse maximè desideramus. Alterum omne sordium genus, vt sunt lutum, fimus, stabulum, lacuna, cœnum, caula, hisque

que similia. vnde summum studium adhibeatur, ne cuiusuis vicinæ domus, vel etiam arcis aut palatij latrina, licet assere vel etiam muro septa, quomodolibet Ecclesiam respiciat.

Alterum verò, strepitum & concursationem, vt fit in officinis ferrariis, Cauponis, Emporiis & omni foro venalitio (de quibus latius infrà capite 6.) quæ etsi semper, maximè tamen in anniuersariis, templi Dedicationis diebus, quorum occasione vt plurimum abusus hic irrepsisse videtur, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, loci illius magistratu, cauta esse volumus. Hæc enim & eiusmodi, diuinum officium haud leuiter interturbare, locique sacrati venerationem & sanctimoniam non mediocriter offendere solent.

Quare optimum erit, vt Ecclesiam si quis, deplorato hoc sæculo, maiorum suorũ exemplo aliquam construere velit, in tali loco constituat, qui Insulæ quandam speciem repræsentet, vt scilicet sit aliquot passibus, ab omnibus aliis ædificiis locus dissitus, id quod maximè in pagis obseruari potest ac debet.

Quod si quædam sint Ecclesiæ, quæ prædictorum incommodorum aliqua patiantur, & illis, non nisi summa difficultate & grauiori malo, occurri posse videatur, id nobis Ecclesiarum illarum Recto-

res, vel Prælati, ocyus ſignificent, vt quid conſilij capiendum ſit, loco & nomine Reuerendiſsimi ac Sereniſsimi Principis noſtri, maturè deliberare valeamus.

Si etiam quædam ſint Eccleſiæ, ſacella & altaria vetuſtate, aut alia quauis ratione collapſa omninò reſtitui & inſtaurari etiam à fundamentis, ſi neceſſum ſit, mandamus. Quod ſi ſumptus & facultas deſit redintegrandi, aut aliæ ſuboriuntur difficultates, ad nos ſimiliter totum negotium eorundem locorum Rectores, vel Eccleſiarum Procuratores deferant, & abſque voluntate, & conceſsione noſtra lapides, Cæmentum, ferramenta, ligna, tegulas, & id genus alia transferrre aut alienare, ſeu transferri & alienari permittere, ſub graui pœna, arbitrio noſtro infligenda nullatenus præſumant. Nos verò cognitis omnibus circumſtantiis & incommodis, ſacrorum Canonum & Conciliorum, Tridentini præſertim Decretis inhærendo, quid opus facto opportunê ſtatuemus.

DE PARTIBVS INTEgrantibus Templi.

CAPVT II.

Primum

PRimum itaque quod occurit, eſt tectum, quod debet eſſe firmum, neceſſariis, fulcris, trabibus ac tignis bene munitum, & ſi non ex plumbo cupróue, ſaltem ex optimis tegulis, aut etiam ſcandulis conſtet, quod ab Ædituis & Eccleſiæ Procuratoribus, cum indè aliarum partium conſeruatio dependeat, inſpiciendum erit frequentiſsimè & danda opera, vt etiam tenuiores rimulæ, per quas guttulæ pluuiarum penetrare ſolent, diligenter obſtruantur. Et ita quidem in conuexo ſe habebit.

In concauo autem, fornice vel certè tabulato, decenter & artificioſè pro Eccleſiæ, populique facultate, & liberalitate ſit ornatum. Vbi verò templi nauis, ob tenuiores Eccleſiæ prouentus cameram habere nequeat, curandum erit, vt ſaltem Chorus ſeu Capella maior, vbi ſummum altare collocatum eſt, Camerato opere ſit munita, vel ſi nec hoc Eccleſiæ paupertas admittat, tabulato omnino ornetur.

Curandum præterea erit vt ſingula altaria, quæ ex natura loci, in quo conſtructa ſunt, fornice non gaudent, pulchris iiſq; ſacris imaginibus, ornatis tabulis (niſi vmbellam e x ſerico ponere malint, dequibus omnibus infra cap. 39. exactius agetur) à pulueribus,

 ribus,

ribus, araneis, aliisque ſordibus deſuper cadentibus vindicentur.

DE PARIETIBVS.

CAPVT III.

PArietes ſint lapidei, vel latericei integri, à ruinis pręmuniti, firmi; ab intus decenter calce liniti, picturis ſacrarum hiſtoriarum, (profanas enim omnes, & ad pietatem nihil conducentes, à parietibus, epitaphiis, altaribus, ſeu quauis alia Eccleſiæ parte vel loco, omnino aboleri & tolli ſerio mandamus) vel ex Bibliis, vel ex vita Sancti illius, cuius Eccleſia illa patrocinio fruitur, refulgentes. Extrinſecè verò, minus ornati tolerantur: licet plurimum nobis illa fidelium conſuetudo, qua etiam exteriores parietes Sanctorum imaginibus illuſtrant, probetur. Partes etiam illæ, quæ feneſtras & portas excipiunt, in margine picturis aut certè colore fuſco, vel cinericio, nigris lineis diſtincto exornentur, idque tàm extra quàm intrà: licet extrinſecus facilis pictura ſeu delilineatio quædam ſufficiat. ſic itaq; compoſiti parietes mundi & integri conſeruentur ac ſæpius à puluеribus & araneis, ſcopis mundentur.

DE

DE FENESTRIS.

CAPVT IIII.

FEneſtrę ipſę vitro lucido, mundo & claro claudantur, & crate ferrea, niſi quatuordecim circiter palmis à terra diſtet, muniantur. Omnes etiam quantum fieri poteſt, reti ferreo, tùm vt vitrum diutius conſeruetur, tùm maximè vt auium nidus & volatus impediantur, forinſecus ſint contectæ. Ea verò ſint amplitudine & longitudine, vt ſufficiens lumen ad legendum & cantandum in ſingulis etiam altaribus, indè excipiatur.

Sint inſuper ita munitæ & integræ, illæ præſertim quæ ſeptentrionem ſpectant, & Boream hauriunt, vt quantuſcunque turbo & ventorum vis, vndequaq; irruat, nullum tamen ſacris miniſteriis, Eucharistię præcipuè (qua in re ſummum ſtudium adhibendum eſt, ne quis ventus vel leuis etiam aura Altare, feneſtrarum vel ianuarum vitio, aut vicinitate, perflet: & ſi aliter huic malo obuiari non poſſet, feneſtras huiuſmodi, vel etiam portas obſtrui, aut certè altaria authoritate noſtra remoueri mandamus) ne periculum, aut orantibus incommodum immineat.

Vtile

Vtile tamen erit, ſaltem aliquas feneſtras ita componere, vt dextrè aperiri, & claudi poſsint accuratè, quorum beneficio, humiditates, vapores, fumi, pulueres & his ſimilia, tùm ad ſubleuandum populum, quando frequentior eſt, tùm ornamenta altarium aliáue huiuſmodi, quibus illa non modicè officiunt, conſeruanda, exhalare queant facilius.

Omnes autem feneſtras, quæ ita demiſſæ ſunt, vt à foris ſtantibus introſpici poſsit, muro obſtrui, aut certè ita vitreis valuis muniri, vt oculorum aſpectum omninò arceant, iubemus.

Feneſtras itidem quaſcunque (Epiſcopi vel loci Prælati duntaxat exceptis) in Eccleſiam proſpicientes, tolli & ſimiliter obſtrui muro, optamus.

DE OSTIIS,

CAPVT V.

OStia templi tantæ ſint magnitudinis, & tot numero, quantam & quot vſus fidelium, populi frequentia, & ipſa templi amplitudo requirit. Sint autem ex ligno bono & ſolido, fortia & craſſa ſatis, laminis ferreis, ſi ſumptus ſuppetant, veſtita, peſſulis, ſeris, clauis, aliiſque inſtrumentis ita munita, vt à

ſacrilega

ſacrilega furum rapacitate, & hominum quorundam inſolentia, ſint penitus tuta, quæ extra diuinum officium, pręſertim vbi periculum aliquod imminet, & conſuetudo loci non contrariatur, quantum fieri poteſt, clauſa teneantur, ita vt nunquam tranſeuntium vſui deſeruiant.

Iuxta oſtium intrantibus occurrat aliquod vas maius aqua luſtrali ſeu benedicta plenum, fidelium aſperſioni & deuotioni præparatum, quod ſingulis ſaltem diebus Dominicis mundetur; & aqua ipſa, iiſdem etiam renouetur.

DE PAVIMENTO.

CAPVT VI.

PAuimentū ex nulla parte ſit nudum, ſed vel ſilice polito, vel lateribus vitreatis, ſi adſint, aut alio ſolido lapide (cū marmor hiſce in partibus vix haberi poſsit) decentèr ſtratum. Ab eodem etiam quantum loci conſuetudo patitur, ſacras imagines, cruces præſertim, omninò remoueri aut ſaltem de nouo non ſculpi, pingi, fingiue vehementer hortamur.

Si qui ſint intra Eccleſiam humandi, quod rarius fieri cuperemus, tanta profunditate ſepulchra effodiantur, tantoq́ue ſtudio claudantur vt fœtoris planè nullum relinquatur veſtigium.

Quoniam verò pleriq; diuitum ſepulcris maiorum ſuorum, vel iuxta illa ad parietem epitaphia, monumenta ſeu lapides ponere ſolent, ne id Eccleſiæ plus impedimento, quàm ornamento ſit, duo aduertenda ſunt. Alterum vt tales lapides vel monumenta parietibus nequaquam amplius affigantur vel apponantur. Imò ſi qui iam ſint poſiti remoueri & in pauimentum deponi ſi vſpiam fieri poteſt, cuperemus.

Per lapides autem quos à parietibus vel etiam aliundè remoueri volumus, non intelligimus illos qui murum æquant & non eminent, ſed illos, qui ita ſunt poſiti vt chorum vel Eccleſiæ nauim aliquatenus deformant, amplia ſpacia occupant, nimium protenduntur, clerum & populum aliquatenus impediunt, & tranſeuntibus ſunt obſtaculo: illi enim, qui his omnibus carent, ſimplex epitaphium & arma continent, etiam in muro poni poſſunt.

Alterum verò, vt iidem lapides, ſi in terram ſeu pauimentum ponendi ſint, profundiores cælaturas non habeant omnino, ſed ſimplici tantum charactere epitaphium ſcribatur, & familiarum inſignia, vel arma lineis duntaxat cælatis exprimantur. Lapis autem ipſe pauimentum prorſus & ad amuſsim adæquet, ita vt nec foueam exhibeat nec tranſeuntibus

tibus ſit offendiculo, Et ſi qui tales iam in Eccleſiis quibuſuis reperiuntur (niſi ſint Sanctorum, Epiſcoporum vel Principum, aut Eccleſiæ fundatorum) qui vel minimum emineant, effoſſa, paululum ſubtus, humi ita accommodentur, vt æquam omninò cum reliquo pauimento planitiem conſtituant.

Sæpè ſcopis mundetur, pulueres à ſedibus, parietibus, feneſtris, picturis, altaribus, imaginibus, accommodatis ſcopis, vulpium caudis, aut panno aliquo abſtergantur.

Aranearum etiam telæ ex angulis quibuſuis, etiam fornicis, aut tabulati, ſcopis longiori haſtili affixis, quas infrà in Germanico cap. 78. ob hoc depinximus, accuratè tollantur.

Ita denique tota templi ſtructura, munditia & nitore reluceat, vt fidelibus facilè appareat eſſe domum orationis, non autem negotiationis & ſpeluncam latronum. Quod vt commodius ac ſtudioſius fiat, ſacroſancti Concilij Tridentini ſeſs. XXII. inhærentes ſanctionibus, diſtrictè, & ſub grauibus pœnis, arbitrio noſtro infligendis, omnis generis nundinas, mercatus, & fora venalicia, nec non profana omnia, vt vinum, frumentum, ligna, lapides, tegulas, lateres, calcem, trabes, tigna, & his ſimilia, etiam ſi ad ipſius Eccleſiæ fabricam ſpectent: Item deambulationes, negotiationes, conuentus,

 comœ-

comœdias,tragœdias,ſpectacula&queuis ſecularia exercitia, colloquia quoque, actiones, ſtrepitus, clamores,& huius generis alia, non ſolum ab ipſa Eccleſia,verum etiam ab eius portis,porticibus, ambitu & Cœmeterio (vbi præſertim eiuſmodi abuſus iam irrepſerunt) procul & quanto citius remoueri præcipimus atque mandamus.

Summa præterea diligentia adhibeatur, ne templum vel cœmeterium ſemine vel ſanguine humano, vel hæreticorum, aut excommunicatorum ſepultura profanetur, quod ſi tale quid accidat, extemplo nobis ſignificetur,vt maturius Eccleſiæ reconciliationem & expurgationem procurare valeamus.

DE SITV IMAGINIS crucifixi.

CAPVT VII.

IN medio templo ſeu illa parte quæ Chorum, in quo eſt altare ſummum à reliqua templi naue ſeiungit, & Clerum à populo diuidit, ſuper tranſuerſam trabem, picturis & coloribus ornatam, Chriſti Domini noſtri Crucifixi imago, ea magnitudine, quam locus ſublimis & templi amplitudo requirit, decenter verſus populum, ſeu portam maiorem templi, collocata

locata conſpiciatur, vt hac etiam ratione rudiores facilius, redemptionis beneficiū, & quis loci paterfamilias, & cum quo ſibi tractandum ac colloquendum ſit, in mentem reducant.

DE TVRRI SEV CAMPANILI.

CAPVT VIII.

TVrris (ſeu Campanile) Eccleſiæ ſit ſufficientibus ſeris ac ianuis neceſſariis, ſtructura, tecto, parietibus, vndique benè munita, & à ruinis immunis & tuta, eaque diligentiſsimè tempore ſuo claudatur.

Campanæ omnes ſint benedictæ, & debitis horis ad diuina officia pulſentur. In aurora autem meridie & crepuſculo veſpertino ad ſalutationem Angelicam, tria interciſa ſigna dentur, ita vt ipſa ſalutatio Angelica, commodè ac lentè ter recitari poſſit, quod vt deuotè & flexis genibus (dempto Paſchali tempore, quo in honorem Dominicæ reſurrectionis teſte D. Auguſt. Ep. 119. ſtando dicitur) ab omni populo fiat, Parochorum & Concionatorum cura ac ſtudio procurabitur.

DE COEMETERIO EIVSque requiſitis.

CAPVT IX.

COEmeterium & si non sit pars Ecclesiæ, est tamen quoq; locus sacer, & Deo dicatus, vnde & illud qualiter curandum sit, videndum est.

Primo aũt loco notandũ occurrit nullũ debere esse Cœmeterium, quod non ab Episcopo sit benedictum & consecratum. Vnde perperam faciunt ij, qui fidelia defunctorum corpora iis locis humant, quæ ad Cœmeteria quidem deputata, ab Episcopo autem nec dum sunt consecrata, quod ne fiat inposterum, seriò inhibemus. Sed si aliqua sint huiusmodi loca ad Cœmeterium destinata, nondum verò consecrata, mandamus eorundem locorum Parochis vel Ecclesiarum Rectoribus, vt id nobis quò huiusmodi consecrationem maturè instituere possimus, interim ab humandis fidelium cadaueribus abstinentes, quantocius significent.

Econtra verò paruulorum illorum corpuscula, qui antequam Baptismi Sacramentum consequuntur ex hac vita, in peccato originali, quomodocunq; (in martyrio coronati) decedunt, in locum sacrum & Deo dicatum, seu ab Episcopo consecratum defodi nequaquam debent, sed iuxta vel etiam intra Cœmeterium consecratum deputandus est aliquis locus separatus & proprio muro cinctus ac clausus,

clausus,non consecratus,in quo dictorum infantum cadauera,& non alibi,sepeliantur.

Duplicia autem in multis locis inueniuntur cœmeteria: alterum quidem quod Ecclesiam ex omni parte ambit & circumdat,vt videre est in plerisque pagis: alterum autem ab Ecclesia omnino est separatum, vt in multis ciuitatibus cernitur, de vtroque hic agetur.

Et quod ad posterius quidem,præter ea quæ illi cum priori communia sunt, curetur vt in eius medio,vel in alio conuenienti loco,si non Capella & in ea altare, certè Christi Saluatoris nostri Crucifixi imago ex lapide,lignóue erecta conspiciatur.

Capella autem ita sit desuper munita tabulato picto & benè ornato,vt ab iniuriis cœli sit defensa.

Adsit quoq; vas aliquod maiusculũ in qua aqua benedicta, vnà cum aspersorio, quod à transeuntibus remoueri non possit,mũdè decenterq; seruetur.

Communia verò vtriq; hæc sunt.Primo quoad ipsam formam,possunt esse oblonga vel quadrata, secundum loci ac terræ opportunitatem: ea autem sint amplitudine,vt incolis illius loci,etiam tempore pestis,sint sufficientia.

Muro octo plus minus, palmis alto, vt assolet, cingatur, qui intrinsecus partibus quibusdam concauis

cauis ceu porticibus, imaginibus & historiis sacris, ac piis, piorum Epitaphiis ponendis seu pingendis aptis, vestiatur, vt sic fideles charitatis & curæ pro mortuis exercendæ, conditionis humanæ, atq; ipsius mortis faciliùs & frequentiùs admoneantur.

Si qui tamen sint, qui pietate in parentes, consanguineos, amicos, aliosq́; conciues, aut quoscunq; fideles defunctos, ducti, sumptuosioria ex marmore seu lapide qui haberi potest, preciosiori aliáue materia, sculpi aut in altis tabulis pingi cuperent, si quidem & hoc deuotionis argumentum & loci ornamentum est, illorum desiderio libenter annuimus.

Ostia sint duo vel tria pro loci amplitudine & commoditate ac frequentia populi, valuis firmis, pessulis seris & clauibus benè munita, quorũ vnum sit ita altum, magnum & patens, vt binos in processione euntes, ipsumq́; funus cum portatoribus, commodè excipere possit.

Sint etiam semper clausa, aut certè ianua submissiori, in modum clatri ita obserata, vt brutis aditus præcludatur. Omnia enim & singula, quæ supra ab ipsa Ecclesia amoueri præcepimus, vtpote: profana cuncta, conuentus, discursus, obambulationes, negotiationes, mercimonia, sordes, spectacula, transitum, aliaq; sacro loco indigna, & ob quæ nonnunquam eundem violari contingit: à Cœmeteriis

riis non minus quoq; eiici & penitus excludi mandamus.

Vt autem bruta ab ingreſſu facilius arceantur, volumus vt Crates ferrea vel ſaltem lignea, ab interiori oſtij parte, defoſſa ſubtus humi altitutidine ſex circiter palmorum ponatur, quæ latitudine oſtium ipſum, longitudine octo minimum palmorum menſuram adæquet.

Iam intrà Cœmeterium ſit locus aliquis iuxta parietem, vel alia commoda parte, in modum Sacelli extructus, & tegulis vel tabulis tectus, ac fornice ſi fieri poteſt, opertus, in quo maiorũ noſtrorum more, mortuorum oſſa & caluariæ, ſeu crania, tùm ad expurganda ſepulchra, quod tertio quoq; anno fieri poterit, tùm ad fidelium corda menteſq; mouendas, ac excitandam in defunctorum animas pietatem, ordinè & aptè ſtruantur, & componantur.

Arbores omnes, frutices, vites, arbuſta, ſi quæ ex his inſitæ aut ſatæ ſint, ſiue fructum ferant, ſiue eo careant, ſuccidantur, euellantur & eiiciantur, imò ne fœnum quidem olera aut herbæ, quæ pabulo vſui ſint, vlla ratione permittantur, à tribulis etiam carduis & ruderibus hiſq; ſimilibus omninò ſit expurgatum.

Ibidem vel certè propè Eccleſiã, ſit locus aliquis qui oſtio claudi poſsit, in quo feretrum, cenotaphia,

ligones,palæ,ſcopæ,aliaque funeralia inſtrumenta recondantur, ita vt hæc Eccleſiam minimè impediant.

Laudabile etiam eſt, & Catholica dignum pietate, ſepulchro cuiuis Crucem ſuper imponere & plura vaſcula, in quibus aqua luſtralis conſeruetur, hinc inde per Cœmeterium,præſertim vbi clariora fiunt epitaphia,haberi.

Hic itaque ſacer locus, frequenter ac deuotè à parochis & aliis clericis proceſsionaliter, ſeu aliàs cum incenſo,aqua benedicta,& conſuetis ſuffragiis, iuxta loci probatam conſuetudinem, viſitetur, nihilque eorum,quæ vel viuos,vt ſe morituros,quandoque intelligant, vel mortuos, vt à purgatoriis pœnis,ſi fortè in iis detinerentur, celerius euadant, iuuare poſſunt,omittatur.

Titulus ſecundus,

DE EVCHARISTIA.

DE TABERNACVLO SEV LOCO in quo venerabilis Euchariſtia in Eccleſia, aſſeruari ſolet ac debet.

CAPVT X.

Superio-

SVperioribus capitibus ipſam Eccleſiam & eius præcipuas partes deſcripſimus,& qualiter ornata & extructa eſſe debeat,rudiori modo,& pro huius Diœceſis more,ac conſuetudine, facultatumq́ue Eccleſiarum tenuitate accommodato,obiter adumbrauimus. Illa enim omnia exactius perſequi,præſentis operis non eſt. Nunc quæ intra Eccleſiam ſunt,quo cultu ac religione haberi & conſeruari,debeant,breuiter quoq; oſtendemus.

Horum autem primum & præcipuum eſt, auguſtiſsimum altaris Sacramentum, quod quàm fieri poteſt,honeſtiſsimè, religioſiſsimè,& ſumma cura aſſeruari omninò volumus & præcipimus. Quare in Eccleſia ſit locus aliquis inſignior & eminentior,in quo Ciborium ſeu vaſculum,pro aſſeruanda Euchariſtia collocetur, etſi non eſt,conſtruatur,niſi illud in altari ſummo ſeu maiori, iuxta Eccleſiæ Romanæ morem, haberi magis lubeat,id quod nobis quoq; ſi tabernaculũ ſit auratum, ab intus ſerico rubeo veſtitum picturis, conopeo,prout etiam infrà cap. 26. verbis & figura exprimitur, aliisq́ue neceſſariis decenter inſtructum & ornatum,plurimum probatur.

Tabernaculum verò ſeu locus ille in quo vaſculum ſeu Ciborium reponendum eſt,ita ſit con-

ſtructus in muro vel columna, vt à posteriori parte ſeu extrinſeco Eccleſiæ muro habeat tantam ipſius muri craſsitiem, adeoq; firmos lapides, vt non niſi maxima vi, perfodi poſsit. In fronte verò & ea parte qua populum & Eccleſiam reſpicit, inſignioribus ſculpturis vel ſaltem picturis ſacris, Chriſti Domini paſsionem, vel tanti Sacramenti myſteria, exprimentibus circumquaq;, & maximè ſurſum, verſus Cameram, pro Eccleſiæ maieſtate, amplitudine, & facultate ornetur quàm magnificentiſsimè.

Idem locus (vel tabernaculum) in quo pixis ſeu vaſculum, quod ſanctiſsimum Sacramentum reconditum habet, manet, ab intus ſit mundus valdè, ac ſi non aliter ſaltem colore cæruleo ac ſtellis aureis ornatus, & ſatis amplus & altus: cum in illo non ſolum hæc pixis, ſed illa alia etiam oſtenſoria, quam Monſtrantiam vulgo dicunt, infrà octauam Corporis Chriſti in pleriſque locis poſt diuina officia recondatur. Conueniret quidem hunc locum ab intus, ſerico rubeo vndique quod Damaſcum vel Carmaſinum vocant, eoque aptè extenſo & Clauiculis affixo ornatum eſſe, vt infrà etiam cap. 26. de tabernaculo dicemus, quod ſaltem in opulentioribus Eccleſiis, deſideramus fieri. Quod ſi tamen his loci inopia obſtet, aliàs nitidus & pulcher ſit, caueaturque quàm maximè omnis humiditas, contra quam tabulæ

bulę ex populo confectę, quibus ſerico ſuper indutis, parietes vndiq; veſtiri poterunt, plurimum valent.

Iam verò oſtiola ſint omnino ferrea, in modum Cratis paruulæ tranſuerſæ confecta, ab intus colore rubeo, exterius verò auro ornata, ſeris etiam ternis ſi opus ſit, licet paruis, optimis tamen & firmiſsimis munita, quorum claues, nulli vnquam Laico, ac ne ipſi quidem Æditu (vt multorum negligentia, qui illas quolibet loco proiectas reliquerunt, quaſi præ- tioſiſsimus hic theſaurus, minori cura ac ſtudio, quàm aurum & margaritæ eſſet cuſtodiendus, hactenus perperam factam eſſe cognouimus) ſub graui pœna credantur. vnde nec in Sacriſtia eas relinqui volumus, ſed illarum ſolus Rector, vel alius ſacerdos de illius licentia curam habeat.

Solum autem tabernaculi ſub ipſo Sacramenti vaſe, tabula quadrata populea (nucea enim & querna, contra humiditatem vim nullam habent) ſerico quoque modo præſcripto veſtita, corporali mundo & candido (ſine quo nunquam & nuſquam venerabile Sacramentum vel vaſculum illud continens, deponi vel collocari debet) impoſito, ſemper ſit ſtratum.

Vacuus etiam ſit hic locus ſanctiſsimus à quibuſuis reliquiis, ſacri olei vaſculis, aliiſque rebus quibuſcunque, adeò vt ne pixis inanis, multò minus

quæuis Monſtrantia ibi vlla remaneat, ſed ſolum illud ipſum vas, in quo venerabile Sacramentum continetur, hoc loco aſſeruetur.

Quod ſi tamen nullus planè locus vel in Sacriſtia vel in templo oleis ſacris aſſeruandis aptus haberi poſſet (quem tamen haberi ac fieri maximoperè cuperemus) permittimus, vt vaſculum in quo dicta olea ſacra continentur, intra tabernaculum vnà cum venerabili Sacramento, ad latus tamen, & iuxta, non ſupra aſſerem ſeu tabulam illam Corporali inſtratam, reponatur. Vtriuſque verò tabernaculi tàm Romani ſupra altare collocati, quàm more noſtro, in muro vel columna Eccleſiæ erecti, vt nuda & ſub velis, comparata eſſe debeant (veſtita enim infrà cap. 26. depicta habes) hæc eſt figura ac forma quam infra in Germanico Idiomate hoc loco adiecimus.

DE IPSA EVCHARISTIA.

CAPVT XI.

CVretur vt particulæ ſeu hoſtiæ minores ad populi communionem, fideliúmue adorationem conſecrandæ, ſint iuſtæ magnitudinis, benè rotundæ, integræ, candidæ, recentes, ante ipſam Conſecrationem à præſegminibus, micis adhærentibus accuratæ

ratæ expurgatæ, & in vaſe mundo & tecto, etiam antequam conſecrandæ proponantur, in Sacriſtia conſeruentur.

Si conſecrandæ ſint plures ſimul, ſeu magna copia, vt fit tempore Paſchali, quod tunc ad vſum ſacrificij in altari eſt, collocentur, ſed in vaſe ſeu cuſtodia, vel pixide propria, quam infrà capite 18. deſcribemus, vel certè ſi Eccleſia ita pauper ſit, in Calice maiori reponantur: quod vas vſque ad Conſecrationem in altari, extra Corporale, ſtare poteſt, dummodo in oblatione, cum maiori hoſtia offerantur & illæ hoſtiæ minores: inſtante autem conſecratione, ſuper ipſum Corporale ponantur, & ſic vnica conſecratione, extenſa nimirum Sacerdotis intentione ad totam materiam præſentem, omnes hoſtiæ propoſitæ conſecrentur: & deinceps amplius à Corporali non remoueatur, ſed retro Calicem ne ſacerdotem ſacrificantem impediat, locetur.

Alias autem extra hæc tempora tot conſecrentur hoſtiæ, quot & loci infirmi & fidelium adoratio, vel etiam frequentius communicantium deuotio, requirunt.

Solicitè curetur vt decimo quinto Die, id eſt, alterius Dominicis ſaltem renouetur venerabile Sacramentum, ita, vt ſumpto Calice,

in Missæ sacrificio ante ablutionem sumantur omnes hostiæ relictæ in custodia, quantumuis recentes adhuc videantur; & à micis sacris, quas æquè vt hostias reuerenter absumet, ritè expurgata custodia, in eandem recens consecratæ hostiæ decenter immittantur. Vt autem custodia hæc intus parata esse debeat, etiam infra citato loco docebimus.

Quod si crassa admodum ac supina sacerdotum negligentia, quam, non nisi grauissimis pœnis punire volumus, eueniat, vt corruptio aliqua species inuadat, animal genitum comburatur, & cineres in sacrarium, de quo infrà cap. 61. agemus, mittantur: Hostiæ autem in Missa sumantur omnes, & ritè purgato Ciborio, de nouo consecratę hostię substituantur. Quod si tanta sit corruptio, vt species sine nausea & vomitus periculo sumi nequeant, in proprio vasculo, donec omnino consumantur in tabernaculo reponantur.

Ipsam autem Eucharistiam, vel vasculum cum Eucharistia nullo vnquam tempore sacerdos tractet, nisi superpelliceo ac stola decenter indutus, & luminibus accensis, vel saltem lampade lucente.

DE MATERIA EVCHARISTIÆ, pane scilicet & vino.

CAPVT

CAPVT XII.

PAnis Azimus & triticeus eſſe debet, ac ſingulari ſtudio præparatus, curandumque eſt, vt ſemper recens habeatur, vnde quando præcedenti capite iuſsimus, vt particulæ vel hoſtiæ ſint recentes, nomine hoſtiarum recentium, tàm maiorum ad Miſſæ ſacrificium, quàm minorum ad populi communionem deſtinatarum, non veniunt illæ intelligendæ, quæ toto anno in Sacriſtia aſſeruantur, vt quidam ſomniant: ſed volumus, vt alternis ſaltem menſibus, ex monaſteriis vicinis ſeu locis, vbi conficiuntur hoſtiæ recentes, & iam tunc paratæ, oblato pretio accipiantur. Quod ſi alia loca viciniora vbi fiunt, non habeant: vt omni excuſationi aditum præcludamus: hîc Ratisbonæ, & apud D. Franciſci Fratres, & apud Societatis Ieſu Patres, quacunque hora venerint, ſufficientes, & quotquot opus habuerint ſine difficultate & mora impetrabunt.

Vinum autem ex vite purum, clarum, & non acidum, album, non rubeum ſit, (licet & in rubeo, ritè ac legitimè conficiatur, propter purificatoria tamen, & alia lintea quæ ſubindè caſu, vino aſperguntur, & maculas indè concipiunt, quæ nulla amplius arte elui poſſunt, albo vti conſultius eſt) recens quoque de dolio promtum eſſe decet. Vndè periculo-

ſum eſt, vinum pro ſacro à Cauponis, Hæreticis præſertim accipere, qui vt plurimum illa, quæ pridie ex Sympoſio relicta, & in vnum hinc indè congeſta, obtrudere ſolent. Quare ſatius erit, è proprio vaſe vina ad ſacrificandum promere. Sin verò præ inopia loci, vel Eccleſiæ, aliiſue de cauſis; propria vina non habeantur & ex hoſpitio illa tàm pro Sacrificio, quàm populi Communione petere omninò ſit neceſſum, curet Parochus, vel cui hoc incumbit, vt miniſter qui vinum adfert in cellam vinariam certè deſcendat, & oculos vinum ex vaſe, non aliundè depromi, teſtes adhibeat.

QVÆ CIRCA COMMVNIOnem obſeruanda.

CAPVT XIII.

Contingit nonnunquam, in numeroſo Communicantium concurſu, plurimos eoſque non leues committi errores, quibus, quantum in nobis eſt, hoc loco occurrere ſatagimus. Quapropter Parochi ſeu alij Sacerdotes, qui populum frequentem, vt in Paſchate accidit, communicant, ſolliciti ſint, vt omnia ritè, decenter ac deuotè peragantur, particulæ in vaſculis, (vt

(vt ſuprà cap.11. præſcripſimus,) non ſuper Corporale nudum conſecrentur.

Inſtante autem iam Communione, & luminibus quæ in eleuatione ſanctiſsimi Sacramenti accendi ſolent, vel pluribus etiam, pro Eccleſiarum more & facultate, accenſis, non abs re erit, præſertim tempore Paſchali & in Villis vel Pagis, vbi rudior eſt populus, exhortatiunculam breuem, qua præter, ea quæ cuilibet in Confeſsione, hac de re dicta ſunt, in Communi omnes, in re tanta, officij ſui, fidei, humilitatis, deuotionis, ac præſentis myſterij ſacri, dignitatis aduentantis, hoſpitis maieſtatis, aliiſque huc ſpectantibus admoneatur, præmittere.

Locus communionis ita ſit præparatus, vt quilibet communicans dum Corpus Chriſti de manu Sacerdotis ore excipit, commodè & decorè genua flectere queat.

Vaſculum in quo ſunt hoſtiæ conſecratæ, capi debet à Sacerdote, iunctis pollice & indice, manus ſiniſtræ: quod ſi tota manu, apertis & in pugnum reductis digitis (id quod tutius multo, in magna præſertim communicantium multitudine, & ſi vaſculum Euchariſtiæ maiuſculum ſit, videtur) capere malit, dictos duos digitos, prius in Calicem abluat, & Purificatorio abſtergat.

Curet etiam celebrans vt Diaconus & Subdiaconus (vbi haberi poſſunt, ſolent vel debent) ſibi tunc accuratè miniſtrent, veſtes ſacras ſubleuando, brachia ſuſtentando, patenam ore communicantium ſubiiciendo, &c. Caueat autem Sacerdos ne Communicantium halitus vel ſuſpiria, vaſe vel Ciborio excipiat, ne aliqua ex hoſtiis ſufflatu eiiciatur.

Sub Communicantium ore, Cancelli, ad quos flectunt (de quibus infrà 55.) alba, munda, & oblonga mappa, ſint ſtrati: vel vbi illi non ſunt, aut commodè fieri nequeunt, duo hinc inde miniſtri Clerici, ſi haberi poſſunt, vel ſaltem ſcholares ſeu alij pueri quos ad hoc à Parochis inſtitui volumus, eandem extenſam teneant, vt ſi caſu aliquo hoſtiæ ſacræ, ex Cuſtodia, manu Sacerdotis, vel Communinicantis ore, excideret, illa tela religiosè, ne in terram, decidat, excipi poſsit.

Si verò hoſtia, vel in Miſſa ſanguis in terram, mappas, vel lintea cadat, ſeruentur rubricæ in Miſſali, maximè Romano, præſcriptæ.

Peracta Communione Sacerdos, micas ſacras, quantumcunque minimas, quę viſum non effugiunt vndequaque maximo ſtudio colligat ac ſumat, quas vt tutius, vel etiam aliquando ſuperfluas hoſtias, ſumere, aliisue caſibus commodius occurrere queat,

Commu-

Communionem populi poſt ſumptum Calicem, ante omnem ablutionem, quo ipſe ieiunus remaneat, inſtituet, qua abſoluta, ablutionem ante in Calice relictam ſumat, digitos abluat, & reliqua ex more peragat.

DE COMMVNICANTIVM ablutione.

CAPVT XIIII.

ABlutionem, quam ſingulis poſt modicum interuallum à ſumpto Domini corpore, offerri conuenit, ex Calice dari (vt in multis locis factitatum hactenus cognouimus, ne rudioribus occaſio errãdi præbeatur) omninò interdicimus. Sed vel ex Cyatho argenteo vel inaurato, Calicis figuram neutiquam imitante, & ad hoc ſpecialiter confecto: vel certè ex poculo vitreo, forma ab illis quibus in menſa vtimur non nihil differente, & ad hunc ſolum vſum deputato, (id quod conuenientiſsimum iudicamus plurimumq́ue probamus) propinari volumus.

Altera verò manu miniſter linteum candidum, & paululum ſerico ornatum, explicatum offerat, quo is qui ablutionẽ ſumpſit labia: & deindè miniſter poculum, ex ea parte, qua communicans ablutionem hauſit, abſtergere poſsit. Ne autem aliis

nauſeam excitet, cum tot ex eodem vaſe bibunt, ſæpius abſtergendum, & ſenſim in orbem vertendum erit. Abſtemiis autem, vt etiam febricitantibus, & infirmis, vini loco, aqua, ſi illam petunt, offerri poteſt.

Circa infirmos tamen notandum occurrit, illis ablutionem, ex quocunque poculo domeſtico, ex quo vel homines bibere conſueuerunt, vel æger commodè haurire poteſt, porrigi poſſe.

Cum verò aliquando in Villis præſertim, & apud pauperes, accidat, nullum poculum conueniens in decumbentis tugurio haberi, Eccleſiæ ſumptibus, vaſculum aliquod idoneum, quod facile in eandem burſam, cum venerabili Sacramento, includi, & ad infirmum deferri poſsit, ex auro vel argento confici debet. Nec omninò diſplicet, forma (ſi aptior non adſit) cochlear imitans: cum illa commoda ſatis videatur, quæ & vnâ afferri facile, & inde languens, ablutionem dextrè ſatis ſumere, queat: dummodo materia ſit aurum vel argentum: aut ſi aliam materiam, vt Cuprum vel orichalcum Eccleſiæ paupertas adhibere côgat, omninò ſit inaurata. Ex nudo autem cupro, etiam ſi ſtanno illiniatur, cum hæc materia rubiginem & ſordes illico contrahat, ita, vt etiam ſanis, nedum infirmis, nauſeam atque adeò vomitum

tum facili negotio concitet, (quale non ita pridem multis certè suspiriis aspeximus, & euestigio comburi mandauimus) sub graui mulcta fieri prohibemus: sicubi verò iam talia habentur, in continenti tolli, seuere in negligentes animaduersuri, mandamus.

VT AD INFIRMOS DEFERENDA sit Eucharistia.

CAPVT XV.

AD ægrotos vbi sanctissima Eucharistia afferenda erit, attendant Parochi, & quorum interest, vt id fiat cum summa religione. populus pro Concione moneatur, & excitetur vt frequens eandem & luminaribus accensis comitetur.

Indulgentiarum quæ in plerisque locis Eucharistiam comitantibus concessæ sunt, vis & precium exponatur, aliaque ad populi deuotionem in sacrosanctam Eucharistiam promouendam proponantur: idquod in pluribus locis, ciuitatibus præsertim, opera & industria sodalitatis, vel congregationis, in honorem Corporis Christi specialiter erectæ & institutæ, summa pietate ac fructu, egregiè præstatur, quas congregationes, seu fraternitates, vbi fieri poterit, & hactenus non fuerunt, vel

hominum

hominum incuria desertæ iacent, institui & restaurari desideramus plurimum.

Vbi scholæ & pueri idonei sunt, duo vt minimum superpelliceis induti, cum laternis hastilibus infixis, in quibus sint luminaria accensa, canticis & Hymnis spiritualibus venerabile Sacramentũ præcedant. Hos autem Æedituus superpelliceo quoque indutus, ac tintinnabulum sonando in manibus ferens, antecedat.

Qui verò comitantur, cereos itidem accensos, vt singuli in manibus ferant, sunt cohortandi: quod si paupertas prohibeat, deuotione saltem & adoratione competenti præsentem Christum Dominum honorent.

Sicubi consuetudo est, vt vmbella, ad hunc tantum vsum specialiter facta & deputata, adhibeatur, illam vt religiosissimam omninò conseruari volumus: vbi verò non est, & illam, vt piam, aliquis introducere velit, plurimum factum probamus.

Quando verò extra oppida & Pagos remotius ad infirmos est abeundum, vnus minimum minister comitetur, superpelliceo indutus, laternam cum accensa candela, & tintinnabulũ præferat, & interpolatis vicibus edito sono, occurrentes, vel hinc indè in agris laborantes, ad adorandam Eucharistiam inuitet.

Si

Si autem locus, vbi infirmus decumbit, non ſit remotior ab Eccleſia in qua venerabile Sacramentum aſſeruatur, quin intra horæ quartam partem, vel etiam paulò plus, adiri queat, vt communiter in hac Ratisbonenſi Diœceſi accidit, volumus ipſam Euchariſtiam ſolenni pompa non ſecus ac intra oppida ipſa, ad ægrotum vſque deferri. Quod vt libentius ac religioſius à populo fiat, ad hoc ipſum pietatis opus, ſedulò ac grauiter à Parocho tùm pro Concione, tùm in aliis occaſionibus, erit incitandus.

Si quando verò ſolum extremæ vnctionis Sacramentum (quod ne infirmus negligat, ſed inſtantius petat, ad Parochi curam ſpectabit: de quo legāt, quæ in conſtitutionibus noſtris, non ita pridem editis, Titulo de extrema vnctione, decreuimus & ſtudioſè obſeruari volumus) ad ægrotos ſit deferendum, ſacerdos ſtola & ſuperpelliceo indutus, illam deferat in ſacculo ſeu burſa, quam infrà cap. 30. deſcribemus, ea dexteritate, vt populus non adoret, ſed vt rem ſacram caput aperiendo, veneretur tantum, miniſtro ſuperpelliceo quoque induto, ſubſequente, ſine lumine & tintinnabulo, vas aquæ benedictæ, vel in ea immerſum antea aſperſorium ſecum adferente.

Sacerdos iturus cum venerabili Euchariſtiæ Sacramento ad infirmum, plures ſemper particulas

E conſe-

consecratas secum deferat, vt pari deuotione & populi reuerentia ad Ecclesiam redire possit, nec tamen interim templum, seu Eucharistiæ tabernaculum corpore Christi destituat, sed pro fidelium adoratione, semper Eucharistia in templo remaneat. Quod si casu accidat (id tamen ne vnquam eueniat, studiosè aduertendum est) nullam superesse hostiam, neq; particulam aliquam notabilem, extinctis luminaribus, superpelliceo deposito, stola ablata, suppressoque tintinnabulo, ad propria redeat.

Prouidebit præterea Parochus, vt in domo infirmi, mensa apta & munda instruatur, & ornetur mappis, cereis accensis, sacris imaginibus & hisce similibus aliis pro qualitate domus & infirmi, quàm fieri potest religiosissimè. In pauperum verò tuguriis, vbi omnia hæc tàm exquisita haberi nequeunt, dicta mensa saltem munda mappa sit cooperta, duobus cereis accensis: supra mappam autem, sacerdos vbi ad locum venerit, Corporale, quod secum adferet, ponet, ac deinde Ciborium ipsum supra Corporale decenter ac tuto collocabit. Reliqua autem omnia, ex more, ea, qua fieri potest, ac decet, pietate, peragat, quàm accuratissimè.

DE

DE LAMPADE PERPETVO CORAM venerabili Sacramento in Ecclesia coruſcante.

CAPVT XVI.

VOlumus & præcipimus, ſub pœna vnius libræ denariorum Ratisbonenſium (ni ob craſsiorem neglectum, grauiore etiam pœna ſit opus) toties quoties neglectum fuerit, burſæ Capitulari ſoluendæ, prout in conſtitutionibus noſtris Titulo DE EVCHARISTIA, &c. quoque ſanciuimus, & inuiolatè obſeruabimus: vt in qualibet Eccleſia, in qua venerabile Sacramentum aſſeruatur, è regione ipſius tabernaculi, in ea diſtantia, vt Sacerdotem accedentem vel recedentem non impediat: ſi non plures, illæq́ue ex argento & auro ac magnificis Lampadariis ornatæ, vt in multis locis, magna fidelium conſolatione ac fructu videre eſt, vni ſaltem orichalco, ferróue, decenter ſit ornata, quæ perpetuò diu, noctuq́ue coram venerabili Sacramento ardeat, mane & veſperi ita paretur ac mungatur, vt tota nocte, ac die integra certo ac tuto perſeuerare poſsit ardendo.

Quod ſi tamen aliquæ Eccleſiæ vſque adeò tenues haberent prouentus (quod non niſi ægrè ad-

modum nobis persuaderi patimur) vt nocturno lumini oleum subministrare non possent, interdiu saltem nunquam extinguatur.

Ferrum autem vel orichalcum, argentum vel aurum (oleum enim omnia facile inficit) sæpius ac diligenter mundetur, vt in suo primo splendore, quantum fieri potest, semper permaneat.

Terra quoque vel pauimentum, quæ decidentes nonnunquam olei guttas excipit, quotidie ferè, si opus sit mundetur, vel certè lampades ita componantur, quod quidem difficile non est, vt oleum destillare non posit.

Lampadarium autem ipsum sit fune congruente, mundo, non oleo vt assolet illito, à terra palmis decem pluribus vel saltem paucioribus iuxta loci altitudinem suspensum, ita vt transeuntes neutiquam impediat.



Titulus tertius,

DE VARIIS VASCVLIS ET PYXIDIBVS, AD EVCHAristiæ, Olei sacri & hostiarum consecrandarum vsum spectantibus.

DE OSTENSORIO SEV Monstrantia.

CAPVT XVII.

NOuem vascula seu pyxides quęlibet Ecclesia ritè instructa, quo ad ea quæ in Titulo proposita sunt, habere debet, videlicet, quatuor pro ipsa Eucharistia, duo pro hostiis non consecratis, & tria pro oleis sacris, de quibus qualiter instructa esse debeant, pro maiori elucidatione totidem distinctis capitibus agemus.

Primum ergò est ostensorium seu quod vulgo Monstrantia dicitur, eo quod in illo ostendatur vel monstretur populo, sub specie hostiæ maioris, venerandum Christi Domini Corpus: & est in vsu, in festo sacratissimi Corporis Christi, & quotiescunque venerabile Sacramentum publicè & in solenni processione est deferendum.

Tale autem esse debet quale in plerisque locis

piis, huius Diœcesis & per totam ferè Germaniam visitur, scilicet aureum vel argenteum totum: vel vbi Ecclesiarum inopia obstat, ex orichalco decenter confectum. Altitudine duos saltem palmos excedens, paruulis imaginibus & variis emblematibus, ex omni parte ornatum, in summitate Crucem, vel Christi Domini effigiem habens. Pedem latum satis, & pluribus angulis, quo vbique tuto locari queat, constantem: supra pedem paululum nodus sit, decorè recteque ornatus & nihil eminens habeat, quo dum capitur, incommodè capiatur, aut digiti quicquam lædantur.

In medio vbi sacra est hostia Crystallum seu vitrum sit lucidissimum & integrum, etiam à parte superiore si haberi potest tale, ea amplitudine, vt hostiam maiorem aptè contineat, & nullibi attingat.

Intra vitrum à parte inferiori, in ipsa Monstrantia emineat lunula, seu lamina orbicularis aurea, vel argentea omnino, Monstrantiæ quidem firmiter infixa, amotilis tamen, lamina autem sit bipertita, vel dissecta quasi, ita verò constructa, vt hostiam sacram decenter ac firmiter capiat, quę tamen cum opus fuerit, disiungi & aperiri queat, quò facilius particulæ, si quæ extracta hostia remansissent, colligi possint.

Fundum

Fundum ipſius Monſtrantiæ, cui hæc lunula infixa nititur, argenteum vel aureum ſit ita fabrefactum, vt cum vſu venerit, amoueri poſsit, omnes autem partes circumferentiæ, ipſius Monſtrantiæ ſeu vitri attigat, ſurſum paululum ad modum ſcutulæ, vergens, vndiq; lenis & polita, vt ſi quæ mica ex hoſtia cadat, indè commodè colligi valeat.

Conſultum autem eſt, hoc vas in nullum alium vſum, atq; adeò ne in Reliquiarũ quidem, quam ad prędictum adhiberi, ne ſimpliciores viſa Monſtrantia, illico & Euchariſtiam adeſſe coniiciant.

Si verò alicubi pro Reliquiis, & in proceſsionibus adhiberi conſuetum eſt, inpoſterum omnino caueri & eiuſmodi morem tolli ſerio mandamus.

Vt autem clarius & exactius percipere valeant, quale hoc vas, & ſubſequentia quoque, imò & multa alia, quæ hic præſcribimus, & vel parum quid dubij vel difficultatis habere videntur, confecta eſſe debeant, eorum figuram ſeu formam ad finem ſemper capitis in germanico exemplari vt præfati ſumus, depictam ſubiiciemus, vt etiam ſuprà cap. 10. fecimus. Monſtrantiæ itaque, lunulæ item ac ſcutulæ hæc eſt figura, vt in germanico exemplari offendes.

DE PYXIDE IN QVA EVCHAriſtia aſſeruatur.

CAPVT

CAPVT XVIII.

SEcundum vaſculum eſt illud quod perpetuò quaſi in Eccleſia ac tabernaculo reſidere debet, quippè in quo Euchariſtia pro fidelium adoratione, & quotidiano communicantium vſu ſemper eſt aſſeruanda.

Conficiendum autem eſt hoc Ciborium ex auro vel argento,& tunc intus ſaltem,ſi non etiam foris, ſit inauratū.nam intus,ſi non ſit inauratum,etiam notabiles particulæ oculorum aciem ſubterfugiunt: enodis omninò & raſilis,vt micæ omnes ab hoſtiis decidentes facilius colligantur. Ea altitudine, & amplitudine,vt ſi non totus populus, ſaltem magna illius pars,indè communicari poſsit,Nodum etiam leuem habeat, vt ſacerdotis manum, dum magna populi frequentia communicat,nequaquam lædat,aut certè ita capiatur, vt ſuprà cap. 13. capiendum eſſe docuimus.

Cooperculum habeat eiuſdem materiæ, quo ipſum Ciborium,in altum forma penè Pyramidali conſurgens,in apice Crucem vel Saluatoris noſtri imaginem habens,prout hæc omnia in ſubiecta ad finem huius capitis figura clarius corã videre licet.

Caueant ne in eiuſmodi vaſculum venerabile Sacramentum immittant, niſi illud prius Epiſcopo conſecrandum obtulerint.

Si

Si qui poſſunt & volunt, intercisa Corporalia, & in formam pyxidis conſuta, benè lota, & amido paululum roborata, intrà vaſculum accommodare, dummodò id decenter fiat, non prohibemus.

Præter hoc autem ſolum, omnia alia, quæcunque tandem illa ſint, à pyxide remoueri volumus, ſingulari animi moleſtia audientes, quoſdam bombycem, aliquos papyrum, alios ſericum, alios alia venerabili Sacramento inani & fatua deuotione ſupponere: ac deindè inuoluta alia bombyce, ferro, vel plumbo, ſerico, cooperire & premere, quæ res piis omnibus indigna meritò videri poteſt.

Iubemus ergo, & ſerio præcipimus, in hoc Ciborio, ſi Corporale præſcripto modo accommodari nequeat, nihil penitus, vt dictum eſt, præterquam ipſum ſolum venerabile Sacramentum aſſeruare.

DE PYXIDE IN QVO VENERabile Sacramentum ad Infirmos deportatur.

CAPVT XIX.

TErtium vaſculum vel Ciborium aderit in vſum infirmorum, aliorúmue, qui Eccleſiam pro Communione accedere nequeunt, intra vrbem aut oppidum, vel etiam pagum, aut certè propè illam exiſtenti-


 um,

um, quod quidem in Sacriſtia vnà cum ſacris Calicibus, & non in tabernaculo aſſeruari debet, & tùm demum produci quando ad prædictos cum venerabile Sacramento eundum erit.

Vbi Eccleſia amplioribus redditibus gaudet, poſſet & hoc vas fieri ſimile omninò præcedenti, ex auro vel argento, ſicubi tamen talis haberi nequit, permittimus, vt fiat Cupreum vel æneum inauratum, ad modum cuiuſdam capſæ pyramidalis, quod operculum cardini innexum habeat, in ſummitate Crucem, vel Chriſti Domini imaginem præferentem: intra quod pyxis minor argentea, qualem ſequenti capite deſcribemus, quæ venerabile Sacramentum continet, commodè immitti poſſit, vt ſic ad infirmos decentius deferatur. Huius Pyxidis forma hæc eſſe poteſt, vt ſub hoc titulo in Germanico habetur.

DE ALIO VASCVLO EVCHARIſtiæ, cum videlicet ad loca remota eſt portanda.

CAPVT XX.



Vartum ſeruiet infirmis, in locis remotioribus ab Eccleſia exiſtentibus, argenteum totũ, & intus inauratum vel aliàs mundè fabrefactum, altitudine duorum digito-

digitorum transuersorum, rotundũ, latitudinis hostiæ maioris circiter, benè ac firmiter clausum, seu coopertum ita vt cooperculum nullo modo à pyxide, nisi aliquali violentia adhibita remoueri possit. Et hoc etiam in Sacristia, loco prænominato, cum superiori Ciborio, & non in tabernaculo asseruandum erit, & tunc tantum cum vsus infirmorum id exiget, venerabile Sacramentũ erit immittendũ, & pyxis ipsa dicto modo clausa, in sacculum, de quo infrà cap. 29. reponatur & ad infirmos deferatur.

Si alicubi Ecclesiæ tenuiores erunt prouentus, adeò vt Ciborium, cap. 19. positum, ex argento, illi, de quo cap. 18. simile confici nequeat, poterit hoc idem sufficere pro omnibus infirmis tàm propè, quàm procul existentibus, dummodo si ad viciniores eundum erit, pyramidalis illa adhibeatur. Forma illius est in vernaculo, suo loco.

DE SCATVLA PARTICVlarum.

CAPVT XXI.

QVintum erit scatula quædam, maiuscula rotũda vel oblonga, benè clausa, munda, & alba, ab intus papyro amicta, vel aliâs certè polita, in qua hostiæ seu parti-

culæ minores ad vſum communionis populi ſeruientes in Sacriſtia aſſeruetur: & indè cum conſecrandæ ſunt, mundæ, abſterſæ, & recentes (vt ſupra etiam capite 11. & 12. notauimus) promantur. Poteſt autem hæc ſcatula hanc formam habere, de qua infra in germanico exemplari.

DE PYXIDE PRO MAIORIBUS hoſtiis.

CAPVT XXII.

SExtum, pyxis erit lignea tornatilis altitudine quatuor digitorum tranſuerſorum, amplior paululum, quam vt hoſtiam maiorem capiat, ita vt plures etiam percommodè, & ſine vlla læſione immitti & extrahi poſsint, clauſa & munda benè.

In hac ſuper hoſtias, vt firmius & planius iaceant, & curuamen, quod dum conficiuntur ſubindè contrahunt, dimittant, plumbum rotundum & latum, pro pyxidis latitudine, craſsiuſculum, ſerico mundo vel certè tela candida, & in ſuperficie connexa, quà operculum reſpicit in nodum reducta, vt dextrè poni & reponi poſsit, in volutum & vndequaque veſtitum, imponatur: ſericum autem hoc, vel tela, vt munda ſemper ſit, & ſi quid immundi contrahat, mutetur, Parochorum ſeu quorum in-

tereſt

tereſt curæ, & prouidentiæ committimus. Forma huius & plumbi inuoluti reperietur in vernaculo.

DE PYXIDE PRO OLEO SAcro Infirmorum.

CAPVT XXIII.

SEptimò eſt pyxis ſeu vaſculum argenteum, altitudinis trium circiter digitorum tranſuerſorum, amplitudinis autem, vt pollicem ſacerdos inferre, & referre commodè valeat, benè clauſum & mundum. In hoc conſeruetur oleum infirmorum bombyce, ne effluat ſuperinfuſum. Et ſi autem hæc tria vltima vaſcula in pleriſque locis coniuncta eſſe nouerimus, hoc tamen in quo eſt oleum Infirmorum, à duobus ſequentibus ſeparatum haberi commodius multo iudicamus, cum alioquin omnia tria ad quemlibet infirmum portari neceſſe ſit. Permittimus tamen, vt vbi iam argentea habentur de facto coniuncta omnia tria, ſic coniuncta ſeruari. Si verò argentea non ſunt, mandamus vt de nouo fiant, & volumus, vt olei infirmorum vaſculum, à duobus aliis ſeparetur. Formam verò ſeu figuram horum omnium trium vaſculorum cum aliquomodo ſint coniuncta infrà ad finem capitis 25. huius Tituli adiiciemus.

DE PYXIDE PRO SACRO OLEO Catechumenorum.

CAPVT XXIIII.

OCtauum erit eiuſdem omnino formæ & materiæ, in quo oleum Catechumenorum aſſeruabitur, cum ſequenti nouo vaſculo coniunctum, vt facilius & certius vtrumque ad Baptiſterium afferatur.

DE PYXIDE SACRI Chriſmatis.

CAPVT XXV.

NONVM & vltimum (in quo ſacrum Chriſma aſſeruatur) cum octauo & ſeptimo erit quoq; eiuſdem formæ. & cum octauo, vt diximus, coniunctum. Quæ tria vaſcula poſtremo loco poſita, in ſuis cooperculis, literis aut aliis notis vel ſignis, ita ſint diſtincta, vt quid in quolibet contineatur, primo ſtatim intuitu Sacerdoti appareat. Vt verbi gratia, ſi ſeptimo literæ, O & I, quibus oleum infirmorum, in octauo, O & C, quibus oleum Catechumenorum, in nono, S & C, quibus ſacrum Chriſma ſignificetur, altius & maiuſculis inſculpantur.

Hæc autem omnia vaſa, quinto & ſexto dempto, ſi præ inopia, aurea vel argentea: qualia ſa-

crorum

crorum dignitas planè requireret, & nos in omnibus Parochialibus Ecclesiis, vel paululum opulentioribus haberi omninò volumus & mandamus, esse non posint, concedimus vt ex stanno, cupro vel orichalco nitido, & benè polito conficiantur: ea tamen lege & conditione, vt hæc ipsa: cum facilius quàm aurum, vel argentum, mucores, rubigines, aliásue sordes contrahant, & tactu manuum, sudore, & humiditate citius inficiantur, purgentur frequenter & accuratè ab ipso Parocho vel Sacerdote, cui id Parochus demandarit. Quod si in hoc negligentia aliqua apparuerit, præter arbitrarias pœnas, quas subibit Parochus, cogetur sublato vasculo stanneo vel cupreo, quod ipse neglexit, argenteum eiusdem magnitudinis, propriis sumptibus, substituere. Figuram autem seu formam dictorum trium vasculorum infra hoc eodem loco in exemplari germanico positam inuenies.



Titulus

Titulus quartus,

DE SERICA SVPEL-LECTILE MINORE.

DE CONOPEO, SEV VELO Tabernaculi.

CAPVT XXVI.

SIcubi venerabile Sacramentum habetur in tabernaculo, posito super Altare maius eo modo, quo diximus suprà capite 10. Tabernaculum Conopeo seu tentorio amplo satis, & vndique patente, ex serico albo, rubeo vel viridi (ni plura pro diuersitate colorum, vt planè conueniret, habeantur) cooperiatur, ita tamen, vt à fronte tabernaculum nonnihil appareat. Sub diuinis autem officiis ita remoueatur tentorium, vt tota tabernaculi facies conspiciatur. Intrinsecus autem vbi venerabile Sacramentum manet, vndique serico, quod Carmesinum vocant, clauiculis inauratis vestiatur. Vbi verò hæc consuetudo non est, & venerabile Sacramentum in tabernaculo in muro vel columna Ecclesiæ excisa, asseruatur, non displicet quorundam pietas, qui totum tabernaculum velo precioso serico, auro intexto, vel picto obuelant, vtriusque figuram infrà hoc loco

loco oculis obiectam habes, quod si hęc desint, ostiola saltem ita sint ornata, vt supra loco citato monuimus.

DE TENTORIOLO PYXIDIS ipsius Eucharistiæ.

CAPVT XXVII.

PRO eo vasculo quod capite 18. descripsimus conficiatur paruum tentoriolum, in modum Pallioli, seu paruuli ferè pluuialis. In Ecclesiis opulentioribus, si non ex tela aurea vel argentea margiritis & gemmis redimita, vt certè esse deberet, saltem ex serico auro & argento intexto, fimbriis dissolutis, & filis aureis immixtis, vel aliis modis ornatis habeatur, & si fieri potest, plurima huiusmodi pro colorum diuersitate curentur, ac deinde mundè & in aliquo Sacristiæ scrinio diligenter custodiantur.

Ecclesiæ autem penuria rerum laborantes, vnum saltem ex simplici serico, cuiuscunque coloris, nigro secluso, decenter confectum & aliqualiter ornatum habeant. Et hæc tentoriola in vsum huius Ciborij duntaxat erunt. Figuram vestiti Ciborij quære in in Germanico exemplari.

DE ALIO TENTORIOLO.

CAPVT XXVIII.

ALiud pręterea conficiatur ex holoſerico rubeo, vel viridi, fimbriis aureis, vel etiam pretioſius, pro Eccleſiarum facultate adornatum, quo ad formam, priori non multum diſsimile, accommodatum vaſculo, ſupra cap. 19. poſito, quod tunc etiam tantum adhibendum eſt, quando & ipſum vaſculum, aliàs verò cum eodem conſeruari debet loco & modo quem ibidem de vaſculo præſcripſimus. Veſtiti huius Ciborij figuram in Germanico, hoc loco habes.

DE SACCVLO SERICO IN VSVM deferendæ Euchariſtiæ ad Infirmos remotè decumbentibus, &c.

CAPVT XXIX.

SAcculus quidam in vſum vaſculi capite 20. deſcripti ex holoſerico, rubeo vel viridi, iuxta ſubiectam in Germanico figuram, conficiatur, intrinſecus ſerico vel ſimili materia veſtitus, eius latitudinis, vt dicta pixis in qua venerabile Sacramentum ad infirmos remotè exiſtentes, per loca montoſa præruptoſq; colles, via difficili, ſubindè deferendũ eſt, commodè immitti & educi queat. Fundũ habeat benè aptè & firmiter conſutũ, non quadratũ, ſed rotundũ, ita vt pyxidem

xidem decenter capiat, & immotam retineat. A ſumma eius parte funiculos ſericos, fortes & ſolidos, certis foraminibus, vt in loculis fieri aſſolet, ita inſertos habeat, vt dum ducuntur, ſacculi os conſtrictum benè cohæreat. Alium præterea funiculum fortiorem paululum, ex ſerico quoq; rubeo vel viridi contextũ habeat, quo dictus ſacculus pyxidem ipſam continens, à collo ſacerdotis iter facientis, tuto ſuſpendi poſsit, quem tamen nihilominus ſacerdos altera ſaltẽ manu, ne indecenter hinc indè iactetur, continuò retinebit. Formam huius vide infrà.

DE SACCVLO SERICO QVI oleo Infirmorum ſeruiet.

CAPVT XXX.

ALius inſuper ſacculus adſit, vaſculo, cap. 23. poſito, vſui futurus, forma & materia priori, quẽ mox deſcripſimus, per omnia ſimilis, niſi quod pro vaſculi quantitate, debeat eſſe accõmodat9, & intus tela alba vel tenui ac cãdido corio ſuffulciri poteſt, vt ſi ex olei & vaſculi contactu ſordeſcat, ipſa ſuffultura extrahi cõburi & alia recens ac mũda, minori ſumptu, ſubſtitui valeat.

Quod ſi contingat, extremam vnctionem ſimul cum Euchariſtia ad infirmum remotius ab Eccleſia exiſtentem deferri, poteſt Sacerdos hunc

ſacculum,qui paruus erit,& holoſericus, aut ſericus vt diximus, in ſacculum maiorem, ſimul cum Euchariſtia imponere. Nudam autem pyxidem nequaquam eo inferat,ne vaſculum in quo eſt venerabile Sacramentum, atq; adeò ne loculus quidem vllatenus inficiatur.

DE BVRSA SEV THECA Corporalis.

CAPVT XXXI.

VBi Thecæ antiquo more, quæ ſcilicet aperiri & claudi ſolent, gemmis, margaritis, auro, argento, vel holoſerico ornatæ habentur,retineri poſſunt: vbi autem nouæ faciendæ ſunt,hoc modo maiori decentia,minori autem ſumptu conficiantur.

Quadratæ ſint, vno palmo vel paulò amplius vndiq; latè patentes:fundamentum poteſt eſſe charta conglutinata multipliciter,ab intus tela munda, candida ſuffulta,exterius verò ſerico cuiuſcunq; generis & coloris obducta, & in finibus fimbriis aureis vel ſericis, à tribus partibus iuncta & clauſa, pars verò quarta per quam complicatum Corporale imponitur, aperta, ſimilibus tamen fimbriis ornata, relinquatur. In quatuor initiis,in lacinias quaſdam paruulas ſericas deſinat. In medio Crucem ex auro, argen-

argento, tela argentea, aurea, aut ſaltem ſerico diuerſi coloris habeat, ſericum autem ad vitandas expenſas, ex vna parte vnius, ex alia alterius coloris, vtrinque cruce adiecta, eſſe poteſt, vt eadem theca, diuerſis coloribus ſeruire poſsit. In quauis enim Eccleſia benè inſtituta, pluuiale, Caſulæ, Dalmaticæ Diaconi & Subdiaconi, ſtola, manipulus, pallium ſeu antependium, velum Calicis & Subdiaconi, ac hæc, de qua hic agimus, Corporalis theca ſeu burſa omninò eiuſdem coloris, & etiam materiæ (demptis velis quæ ex ſimplici ſerico, auro tamen & argento intexta conſtent) eſſe debent. Formam quære infra hoc loco in vernaculo.

DE VELO CALICIS.

CAPVT XXXII.

VT Calicis velum & melius accommodare & quidnam ſit, facilius intelligere valeant, qualiter Calix ad Miſſam parari debeat, ordine explicabimus. Primo ergo nudus Calix in menſa ſtatuatur: deinde Purificatorium complicatum eidem imponatur, ita vt fines, vtrinque nodum Calicis attingant: huic ſuperponatur patena, in qua hoſtia conſecranda collocabitur, quæ & palla operietur: deinde velo, de quo hic agimus, Calicem obtegat, modo

quem iam docebimus, cui dehinc thecam, in quo Corporale lateat, apponat, poſtea reſidua pars veli, ſupra thecam reducta, thecam ipſam non nihil contegat, & partem illam qua Corporale iniicitur & extrahitur occludat. Vltimo tandem ſudariolum aptè ac benè complicatum infra capite 65. deſcribendum, addatur.

Iturus ergo ad altare Sacerdos Calicem ſiniſtra manu infra cuppam ad nodum capiat, vt dextræ digitos ne quid decidat, decenter thecæ ſuper imponat.

Hoc igitur velum ſi de colore albo ſit ſermo, poteſt eſſe ex munda & candida tela, hinc indè auro, argento, ſerico vel quouis acus artificio ornatum, vel etiam his omnibus, vbi tenues ſunt redditus carere. Si de aliis coloribus loquamur, ſit ex ſerico tenui & fimbriis inauratis circumquaque exornatum, longum duobus palmis & medio, latum verò duobus. nam dum Calix eſt in Sacriſtia & quando indè à Celebrante ad altare effertur, ita debet tegi hoc velo, vt velum retro Calicem extremitate menſam attingat, & deindè quod reſidium eſt, ſupra thecam illi impoſitam reducatur. In altari verò explicato Corporali, & repoſita theca Calix ita tegendus eſt, vt velum ante Calicem altaris menſam abundè contegat, prout fuſius in libello cæremoniarum

rum explicabimus. Interim vtriuſque modi figuram infrà hoc loco adiecimus.

DE VELO SACERDOTIS & Subdiaconi.

CAPVT XXXIII.

SVbdiaconus dum patenam ab oblatione vſque ad Dominicam orationem intra Miſſarum ſolennia, dextera manu paululum eleuata tenet, velum quo & ipſa patena obtegitur, circa humeros habere debet, quod colore cum caſula celebrantis conuenire debet, materia verò erit, ſericum auro & argento, vt diximus, ornatum, latum ſit duobus vel paulò amplius palmis, longum verò duodecim circiter.

Idem omninò (ſi album ſit) vel planè ſimile, ſacerdos cum venerabile Sacramentum in ſolenni proceſſione circumfert, vel etiam cum ſub vmbella ad ægrotos defert, circa humeros adhibere, eoq́ue manus obtegere debet.



Titulus quintus, DE OLEIS SACRIS ET FONTE BAPTISmatis.

DE OLEIS SACRIS,

CAPVT XXXIIII.



Vomodo & in quo loco ſint olea ſacra ſcilicet Chriſmatis, Catechumenorum, & Infirmorum aſſeruanda, ſupra capite 10. ad finem docuimus: ac denuò hortamur, vt Parochi ſolertia, aliquis locus tutus, mundus, & benè clauſus, in Eccleſia vel Sacriſtia, in quem hæc olea recondi poſsint, inueniatur, ita vt intra tabernaculum nihil planè, præterquam ipſum ſacratiſſimum Altaris Sacramentum conſeruetur.

Vaſcula verò & ſacculi, qualia eſſe debeant, paulò ante cap. 23. 24. 25. & 30. fuſius explicauimus. Vt verò Sacramentum extremæ vnctionis ad infirmos deferendum, & quanta Parochi cura, vt infirmi illud petant, adhibenda ſit, ex iis quæ in conſtitutionibus noſtris titulo de Sacramento extremæ vnctionis, & hic capite 15. dicta ſunt, luculenter conſtat. Hoc tantum loco Parochos monendos duximus, vt hæc omnia olea, tempore Paſchali, diligen-

diligentiſsimè renouent, veteribus per ſacerdotes, iuxta Decreta Fabiani Pontificis, combuſtis.

Caueant etiam ne quicquam ex his oleis, vel aliis rebus ſacris, benedictis vel reliquiis cuiquam, quouis colore vel prætextu, extra Sacramentum, vel rerum benedictarum ſacrarúmue legitimum, & ab Eccleſia Catholica approbatum vſum, ſub grauiſsimis pœnis, & ſacrilegij ſcelere, elargiantur.

DE FONTE BAPTISMATIS.

CAPVT XXXV.

SIngulæ Parochiales vel etiam ſuperiores Eccleſiæ, quibus animarum cura annexa eſt, ſingulos fontes Baptiſmales habeant, in quibus toto Anno diligenter conſeruetur aqua Baptiſmalis, ſolenni ritu Sabbatho ſancto Paſchæ vel Pentecoſtes benedicta.

Fons ipſe ſit ex lapide, ſi non marmoreo, at certè alias ſolido & benè polito ac nequaquam ſpongioſo, ita vt aquam tutò Anno toto conſeruare, ne effluat, valeat.

Quodſi lapides idonei, & tantæ magnitudinis haberi nequeant, conficiatur Fons ex quouis lapide & ab intus plumbo, ſtanno, vel cupro ad modum Aheni fabrefacto veſtiatur, ſitque hoc vas ita confectum, vt lapidem amplitudine decenter adæquet,

marginem obtegat,& manubriis quibuſdam facile auelli & reponi, nec non benedictionis tempore, mundari queat.

Ea verò ſit magnitudine fons, vt aquam ſufficientem pro Baptizandorum frequentia& multitudine capiat, & circumquaq; tantum ſpatij habeat vt Sacerdos, Compater, miniſter,& alij Baptiſmi tempore commodè aſtare poſsint, vndè expedit vt à quouis Eccleſiæ muro, in aliqua honeſta Eccleſiæ parte, vel Capella propria, ſi commodè haberi poſſit, liber exiſtat.

Forma ſit rotundus vel angularis, ita vt & ipſi anguli in gyrum ducti, circulum quaſi conſtituant, vt fit ſi habeat ſex vel octo angulos ſibi ex ęquo correſpondentes.

Fons verò extrà vſum perpetuò ſit clauſus, & benè munitus ſeris. quare ori illius, ſi non ferrea, certè lignea quaſi ianua imponatur, quæ totum fontem aptè & decenter obtegat, & ita certis ſeramentis & Cardinibus innitatur, vt obſerari commodè poſsit. Quod ſi hæc ianua lignea futura ſit, conficiatur ex ligno ſolido & pulchro ac ita craſſo, vt effringi facilè non poſsit.

Super hanc erigatur aliud cooperculũ in altum, per modũ pyramidis aſcendens, quod ad ornatũ tantum ac decentiã adhibetur, & in omnibus Eccleſiis, vbi fons eſt, haberi volumus. Sit

Sit autem hoc cooperculum ita constructum, vt fontis ostium seu orificium ambiat, & claudat, rotundum vel angulare, iuxta fontis formam, ex ligno pulchro, polito, elaborato, cælaturis & imaginibus eminente, aut certè decenter picto, vel vt minimum aliàs ab Arculario ingeniosè fabrefacto; & vbi Ecclesiæ sumptus suppetunt conopeo seu tentorio serico albi vel rubei coloris velato.

Vbi tamen loci satis est, deceret, si non sit in proprio eoque clauso sacello, Cancellis si non æneis, ligneis saltem, duabus ianuis constantibus, fontem circundari & quasi sepiri, qui tamen ita sint remoti à fonte, vt Sacerdos, cum omnibus illis qui ad Baptizandum concurrunt, commodè circumstare valeat.

Pes fontis ipsius ita extruatur, vt vno vel altero gradu ad fontis orificium ascendatur.

Cum autem in pluribus Ecclesiis, ruralibus præsertim, Baptisteriũ in media & ampliori templi naue, constructũ esse cõperimus, ac ob hoc nec cancellis nec gradibus iuxta præscriptũ, ob loci angustiã ornari posse, facile intelligam9, desideram9 plurimũ: & nisi Ecclesia, alio loco planè destituatur, aliàue magna difficultas suboriatur, præcipimus huiusmodi Baptisteria, quę etiam populi transitũ impediunt, & ipsius

Ecclesiæ amplitudinem quodammodo deformant, hinc, vel ad aliquod proprium sacellum, si adsit, id quod conuenientissimum foret, vel certè in aliquem alium commodiorem Ecclesiæ locum, transferri, ac tunc, eodem labore, secundum hanc regulam, cum gradibus, cancellis & operculis restaurari.

Iam verò summa cura adhibeatur, vt aqua sit quam fieri potest mundissima & limpida, & si quid mucoris, vel quarumuis sordium contrahat, à sacerdote tantum & nullo alio, propter sacrum Chrisma & oleum tempore benedictionis immissum, accuratè mundetur, & quæ indè extracta fuerint, vel comburantur vel in sacrarium proiiciantur.

Caueant Parochi sub graui pœna ne cuiquam quicquam ex aqua Baptismali, post Chrismatis & Olei infusionem, quantumuis instanter & quouis nomine petenti, concedant. hæ enim res sacræ curandis morbis & infirmitatibus non sunt institutæ, cum talis medicina superstitione nunquam, quandoque Sacrilegio etiam non careat.

Quò ad reliqua ad Baptismum pertinentia, eiúsue debitam ac legitimam administrationem, lectorē ad constitutiones nostras, vbi illa omnia, titulo circa Baptismi administrationē, enucleatius tradidimus & exactè seruari volumus, remittimus. Vt verò fons ipse, iuxtà præscriptum, constructus &

ado.na-

adornatus esse debeat, figura infra hoc loco in germanico exemplari posita planius edocebit.

Titulus sextus,

DE RELIQVIIS EARVMQVE THECIS.

DE IPSIS RELIQVIIS.

CAPVT XXXVI.



Vemadmodum sanctis secundum Deum summa religio est impendenda, ita post curam exactissimam, qua tremendum altaris Sacramentum sanctè asseruari supra mandauimus, maximo studio sanctorum Reliquiæ erunt in Ecclesiis custodiendæ.

Prima itaque cura Rectoris cuiusuis Ecclesiæ erit inspicere & cognoscere Ecclesiæ suę Reliquias, & attendere summo studio, ne fictitiæ aut falsæ pro veris, & mortuorum ossa, pro sanctorum Corporibus venerandæ proponantur.

Consultum ergo erit videre semel omnes Reliquias (iis per omnia exceptis, quæ altarium sepulchris, dum consecrarentur, ab Episcopo immissæ sunt, de quibus cum nihil subsit dubij, nullus omnino illas vel videre, vel sepulchrum violare nobis in-

ſciis, ſub graui pœna præſumat) & cuius ſancti, à quo, quando, quomodo, cuius authoritate & vndè, ſi hæc ſciri poſſunt, huc tranſlatæ ſint, curioſius indagare, certas ab incertis ſeparare, & certis nomina ſua in membranula legibili, ac decoro charactere depicta, apponere, incertas verò, & quorum nomina ignorantur in thecam propriam, includere, & ſimul nihilominus cum aliis conſeruare.

Quod ſi teſtimonia aliqua de Reliquiarum tranſlatione & certitudine, literis comprehenſa, in Eccleſiæ ſcrinio, archiuis & Annalibus haberentur, accuratè aſſeruentur, ſi quidem integra & incorrupta ſint: ſint autem, & tamen legi poſsint, tranſcribi & per Notarium publicum, cum originali collatum ſubſcribi & fide roborari curabunt Rectores.

Reliquiæ autem maiores, & inſigniores, vt ſunt capita, manus, crura, vel etiam integra corpora, locis & thecis ſuis, ſi tamen iuxta dignitatẽ, aſſeruentur, immota permaneant, & de his ſpecialius quales, vndè, & quãdo, &c. huc venerint, niſi literis amplioribus id conſtet, Parochus ſe informare conabitur.

Prohibemus aũt ſub grauiſsimis pœnis & cenſuris, ne Parochi Ordinario inconſulto, quicquam vel minimum de Reliquiis ſuæ Eccleſiæ, quocunq; prætextu vel colore quæſito, diſtribuere, etiam piis alioquin & deuotis hominibus vel alio quouis modo alienare attentent.

De iisdem certis diebus, vel semel saltem in Anno commemoratio celebretur, & populo præscripto aliquo die solenniori (si non frequentius) omnes ex ordine, & nomine, accensis facibus vel candelis, demonstrentur.

Integra corpora nominentur tantum, nec loco suo, vt diximus, moueantur: minores verò vbi podium aliquod in Ecclesia in hunc finem erectum non habetur, comportentur (nisi sit vel magna multitudo, & probabile periculum timeatur: hoc enim casu, duo tantum, vel tria Reliquiaria, simul qualibet vice offerri debent) ad aliquod altare extra chorum, & Sacerdos superpelliceo (sine quo & accēsis luminaribus nunquam Reliquiæ sunt tractandæ) & stola indutus, vasculum vnum post alterum populo reuerenter ostendat, dicendo vulgari idiomate: Hoc vase continentur, huius vel illius sancti ossa, digiti, crura, manus, caput, &c. Vel his similibus, vt placuerit, vtatur verbis. Reliquiæ deindè omnes eadem, qua produxit, reuerentia recondet.

Osculandas autem nudas reliquias, offerat nunquam. aliqua autem vascula in quibus certè reliquiæ nominibus adiectis habentur, aliquando pro temporũ personarũq; ratione, licet & hoc rarius, osculo excipi, & honorari permittat: si qui tamen sua de-

uotione

uotione ducti, rosariis, vt vocant suis, Reliquiaria, mediante Sacerdote vel Clerico ad hoc deputato, & superpelliceo induto tangere cupiant, nequaquam prohibendi erunt, remota omni superstitione & turpi lucro. Cauebunt enim omnes Sacerdotes singulari studio, ne cuiusquam etiam vltroneas oblationes in proprium suum vsum cessuras, ratione Reliquiarum ostensarũ admittant. Si quis autem, aurum vel argentum, vel pretio æstimabile, pro exornandis Reliquiis proprio motu & sponté offerat, Parochus præsentibus Ecclesiæ procuratoribus, munus accipiat, & offerentis voluntati ac intentioni, nulla interposita mora, in decorandis reliquiis satis facere studeat.

DE LOCO SACRARVM RELiquiarum.

CAPVT XXXVII.

QVo ad locum sacrarum Reliquiarũ, curandum erit, vt illæ quæ thecas aureas, vel argenteas habent, & in altari aliquo, vel alio insigniori & eminentiori loco conditæ sunt, tutæ sint & benè munitæ, præsertim si integra sanctorum corpora, aut magna pars, illis sit inclusa, immotaque suis locis, vt sæpius monuimus, permaneant.

Aliæ

Aliæ verò minores Reliquiæ, quæ ſtatis diebus & feſtis, in altari, venerandæ proponuntur, & de loco in locum transferuntur, ſi in Eccleſia podium, ex quo & monſtrari, & in eodem aſſeruari ſolent, non habeatur, ſit aliquod armarium, vel in muro templi craſsiore & ſi fieri poteſt, propè altare maius, aut aliquo alio ſacello, vel certè Sacriſtia quaſi ſepulchrum quoddam inciſum & concauatum, ita latum, longum & profundum, prout ſacrarum Reliquiarum, quæ in eo aſſeruandæ ſunt multitudo ac magnitudo poſtulat, (niſi tanta ſit Reliquiarum copia atque vaſorum pretium, vt proprium penetrale, ſeu conclaue requirant) tabulis quernis aut populeis, vel alterius generis generis, ad diurnitatem accommodatis intrinſecè circũ veſtitum, atq; ſerico rubeo extenſo, clauiculis vndiq; affixo, ornatum & duobus, tribúsue tabulis per tranſuerſum quaſi ſectum & diſtinctũ, quo plura vaſa capiat cõmodius. Intrinſecus verſus valuas in ſummitate armarij ferrum oblongum, rotundum, bacillo ſimile ducatur, cui annuli, à quibus velum ſericũ, & ſi haberi poteſt, auro intextum, coloris albi, cærulei, vel rubei, admodũ cortinę dependeat, inſeratur, ita accommodatum, vt in contrarias partes, dexterã ſcilicet & ſiniſtram diſtrahi, vbi promendę, vel vidẽdę erunt Reliquiæ, & rurſus quando obſerandum erit armarium, ad medium reduci, poſsit.

Sit autem hic locus ſeris,repagulis ac oſtiis benè munitus & clauſus,& vbi facultas Eccleſiæ permittit, crate ferrea (niſi ipſius armarij oſtia ſint ferrea ac ob id tuta ſatis) auro tamen argentóue, vel ſaltem pulchro colore veſtita, quæ hinc indè cardinibus immiſſa ceu ianua bipartita aperiri poſsit,occluſus, quæ tandem omnia firmiſsimis valuis,ex ligno querno,vel alio ſolido,laminis ferreis,ſi opus fuerit, ab extrinſeco veſtito,confectis claudātur,tot ſeris ac repagulis adhibitis, quot & Reliquiarum theſaurus requirere & Rectori Eccleſię conuenire videbitur.

Sicubi ergo huiuſmodi armarium quale iam deſcripſimus & figura infra hoc loco poſita declarat, adeſſet;& illius, ob auri, argenti, margaritarum ac gemmarum (tabulis enim maiores noſtri, Reliquias pro deuotione ſua,donarunt & ornarunt) quibus Reliquiæ ſunt incluſæ, vim & copiam, etiam ſæcularis magiſtratus, clauem aliquam habere vellet, ipſius armarij claues ita diſtribuantur,vt neutra pars alia inſcia, hoc eſt, nec Parochus ſine ſæculari magiſtratu, nec hic ſine Parocho,Reliquiarium reſerare valeat, Vbi verò aperiendum erit, adeò amicè conſentiant, vt vtrinque nec moras nectant,nec difficiles ſe, quo minus feſtis diebus maturè Reliquiæ promantur, exhibeāt.Patefacto autem armario ſæculares,Reliquias indè vel promere vel efferre aut

referre

referre nequaquam præſumant, ſed hæc ſacerdotibus tantum, quippè quibus ſolis hoc ex officio ſuo incumbit credant atque committant. Peractis autem diuinis, vt Reliquiæ recondantur, oculos, non manus, teſtes adhibeant, ianuas dehinc obſerare iuuent, & reſumpta claue ſua ad propria redeant.

Quod ſi huiuſmodi armarium quod abſolutum vtcunque & pro opulentioribus Eccleſiis ac monaſteriis, vbi magnus Reliquiarum theſaurus haberi conſueuit, depinximus, vel inopia loci prohibeat, vel Reliquiarum qualitas non requirat, in Sacriſtia aliquod aliud minori ſumptu, mundum tamen & benè clauſum, & pro ſolis Reliquiis deputatum conficiatur, niſi tàm exiguæ & paucæ alicubi ſint Reliquiæ, vt vno vel altero vaſculo incluſæ, cum ſacris Calicibus commodè aſſeruari poſsint. Figurã verò dicti armarij infra adiecimus, in germanico.

DE SACRARVM RELIQVIArum vaſculis vel thecis.

CAPVT XXXVIII.

NVnc quod thecas ipſas, ſeu vaſa, quibus immediatè reliquiæ ſacræ includuntur attinet, ſolertiæ ac diſcretioni Præſidis Eccleſiæ relinquimus, qualia quæuis Reliquiæ vaſcula requirant. Nobis certè inprimis

diſplicet, Reliquias, illo vaſi includere, quod Monſtrantiam vocant, & in quo ſacratiſsimum Corporis Domini Sacramentum, in ſolenni ſupplicatione circumferri conſueuit, cuiuſmodi ſupra capite 17. deſcriptum habetur, vbi hoc idem prohibuimus, & cur prohibeamus, explicauimus.

Breuiter tamen nihilominus & nos modum de vaſis ſeu thecis ſacrarum Reliquiarum trademus.

Diximus paulò ante, debere certas Reliquias ab iis quorum nomina ignorantur, pro veris tamen habentur, ſeparare. Vndè quantum ad certas Reliquias attinet, maiores & inſigniores, illuſtriora quoque & pretioſiora vaſa, habere conuenit. Quare hæc ex auro, argento, cryſtallo, & ſimili materia confici poſſunt. Forma decenti & ingenioſa fabrefacta. Ipſæ autem Reliquiæ non nudæ, ſed ſerico aliquo pulchro inuolutæ (niſi inſigniora ſint oſſa, vt crura vel brachia & Cryſtallo inſerenda) thecis ſunt includendæ ſi theca ſit argentea vel aurea, nomen ſancti, cuius Reliquię ibi continentur, parte anteriore præferat: ſin Cryſtallina, ſericum quo ſunt circumdatæ Reliquiæ, idem nomen, in membrana, vt ſupra notauimus, ſcriptum affixum habeat, ita vt facile à quouis legi poſsit. Minores autem Reliquiæ, niſi ſint de ſanctiſsimæ Crucis ligno (hæ enim quantumuis paruæ, ſumma reuerentia, crucibus vel thecis

thecis pretiosissimis sunt inferendæ) binæ ternæ vel quaternæ simul, in aliquo vasculo honorifico, nominibus eorum appositis, recondantur.

Quando veræ Reliquiæ, & quorum certa nomina constant, habentur quidem, ita tamen minutæ & mixtæ vt quæ, cuius sint, dignosci nequeat, quod tunc maximè contingit, quando nomina non adhibentur, omnes simul vni thecæ includantur, & singulorum illorum Sanctorum nomina in charta vel membrana, aut sculpta adiiciantur.

Vbi adsunt minimæ quædam particulæ, pulueres aut cineres sacri, quæ singulis vasis includi non possint commodè, conficiatur vnum Reliquiarium seu theca, in quam omnes, additis nominibus reponantur. Hoc autem (quale & pro aliis Reliquiis confici poterit) tale sit.

Scriniolum quasi paruum est, nuce, argento, auro, vel alia decenti materia fiat, latum & longum, pro quantitate Reliquiarum, profundum verò, quinq; circiter digitorum. In ea varia & inuicem distincta struantur receptacula, & quasi capsulæ, tot, quot sunt Reliquiæ, nomina & Reliquias sanctorũ, diem quo ostenduntur, & indulgentias ei Ecclesię concessas, in membrana pulchriori charactere & emblematibus ornato summatim cõtineat. Descripti supra scrinioli figuram infra hoc loco inuenies depictam, in vernaculo.

Titulus ſeptimus,
DE ALTARIBVS EORVMQVE ORNATV.

DE ALTARI COMMVNI.

CAPVT XXXIX.

SI menſas Regum ac Principum, vbi Boum, porcorum ac ferarum carnes, ventrem, propediem in vermes & ſaniem reſoluendum, repleturæ apponuntur, magnifico apparatu, & regio luxu ſterni videmus: quali ornatu & munditie menſam illam ſacram, in qua panis ille qui de cœlo deſcẽdit, agnus qui peccata tollit, caro & ſanguis Chriſti Ieſu Domini noſtri, cœleſti Patri offerendus, & animabus æternum victuris, paſcendis proponitur, inſtructam eſſe decet? conueniret planè omnia auro, argento, gemmis & margaritis refulgere, & exquiſitiſsima cura adornata conſpici.

Quapropter rem Chriſtiano homine planè indignam, commitunt illi, qui menſarum mappas, quàm Altarium lintea, ſudaria, quàm corporalia, mantilia quàm purificatoria, cyathos quàm calices, tenent cautius, mutant frequentius, curant ſolicitius, id

id quod non in vno tantum loco, fieri, magno animi dolore percepimus & propriis oculis conspeximus.

Vndè hic, qualiter altare cum suo supellectili, pro Ecclesiarum facultate, instructum esse debeat, docebimus serio omninò, & sub grauissimis pœnis mandantes, vt talia in visitatione inueniantur, qualia hoc loco descripta visuntur. Hic enim ex proposito de cultu & supellectili altarium agemus, nam quot esse possint, vel debeant in quauis Ecclesia, & quibus locis disposita, quæúe eò, quod malè posita, ex Ordinarij præscripto remouenda, mutanda, vel transferenda: Item de eorum Consecratione, sepulchris, integritate, restauratione, fundatione, vsus frequentia, aliisq; his similibus, dum ipsa templa visitantur, & coram omnia inspiciuntur, facilius & certius, quid opus facto, quàm hoc loco iudicari potest: quamuis ex his quædam horum per occasionem obiter attingemus.

Et quidē illud de altariū remotione his inserendū omninò duximus. Cū enim superioribus diebus quasdā in rure Ecclesias, eorundē mundū simul ac diuini cult9 decorē exploraturi, pro munere nostro, obiremus, aduertimus passim in media tēpli naue, ad finē chori, & in capite ipsius nauis, altare erectū esse, ex quo duo incommoda sequi vidimus. Primū quod hinc ipsa Ecclesiæ facies, amplitudo, decus & forma pluri-

plurimum diminuatur atque deformetur populoq́; liber ad Chorum aditus vix pateat. Secundum, quod dictum altare, intuitum populi ad ſummum altare penitus ferè, atque adeò, vt nec Sacerdotem ſacrificantem nec hoſtiam ſacram & Calicem eleuantem commodè cernere poſsit, prohibeat. Quapropter vt hiſcè & aliis quibuſdam inconuenientibus remedium adhibeatur, authoritate noſtra noſtra qua fungimur, vigore huius decreti permittimus, iubemus, mandamus atque præcipimus, huiuſmodi altaria prædicta incommoda ſecum trahentia, vbiuis locorum, & in quacunque Eccleſia, per totam hanc Diœceſin (iis exceptis Eccleſiis, in quibus totus chorus pariete quaſi circumquaque ſeptus & incluſus, ac à reliqua templi naue quodammodo ſeparatus cernitur, vt in Cathedrali & veteris Capellæ ac D. Ioannis Collegiatis hic Ratisbonæ, nec non in omnibus ferè monaſteriis, videre eſt) non petito vlteriori noſtro conſenſu, citra moram tolli, aufferri & deſtrui, & ſi Beneficia fundata habent, illa ſimul cum omnibus oneribus ad vicinum aliquod altare eiuſdem Eccleſiæ transferri. Hæc autem tranſlatio hoc modo à Parocho fiat. Altare auferendum, inſtruatur eo modo quo dum ſacrum ibi fit, ornatum eſſe ſolet, in cuius imo gradu Parochus ſeu illius Eccleſiæ Prælatus ſuperpelliceo ac ſtola

ſtola indutus genua flectat, ſeque ac totum populum ſibi commiſſum, nec non illius Altaris fundatores, Deo inprimis ac deinde B. Mariæ ſemper virginis & ſanctis illis in quorũ honorem altare illud dicatum fuit ſolicitè commendet, recitando Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum & orationem de Patrono ſeu patronis eiuſdem altaris.

Peracta hac oratione, ſurgat, cereos extinguat, Iconiam ſeu imaginũ tabulas deponat, altare ſacris veſtibus exuat, lapidem ſeu menſam conſecratam propriis manibus lauet & abſtergat, aquam in ſacrarium ſeu piſcinam proiiciat. Lotum autem lapidem ſi integer & magnus ſit, certo loco, ſi forte aliud aliquando erigendum foret altare aſſeruet, ſepulchrum malleo decenter aperiat, Reliquias inuoluto vaſculo ſeu vitro in quo conditæ ſunt, deuotæ exoſculando excipiat, illas interim cum aliis Reliquiis conſeruet, & proxima occaſione ipſemet ferat, vel per alium Sacerdotem, (laicis enim minimè committendæ ſunt) ad Reuerendiſsimum Dominum Suffraganeum Ratisbonenſ. tranſmittat, malleo dehinc eodem, lapidem aliquem cornu anterioris excutiat, & tùm demum tradito Cementario malleo, eidem dictum altare euertendi poteſtatem faciat. Locus autem in quo altare ſtetit, ſimilis

K reli-

reliquo pauimento efficiatur. Et deinceps Missa, seu alia diuina, in eo altari celebrari consueta, solita diligentia, iuxta Fundatorum mentem ac populi consuetudinem in vicino, vt diximus, altari peragantur.

Hoc itaque capite ad propositum redeuntes, de nudo altari agemus. Sit ergo altare desuper tectum & quasi coopertum, vt etiam supra capite 2. monuimus, idemq; hic repetimus, nimirum quodlibet altare (nisi vel fornicem, vel tabulatum desuper ita propinquum, integrum, atque decenter confectum habeat, vt frequentius purgari, & nihil sordium per rimulas decidere posSit) vmbellam seu cœlum quoddam debere habere ex serico rubeo, albo vel cæruleo, auro, si per facultates Ecclesiæ licet, depicto, vel ex tela munda, coloribus tincta, & aptè extensa, ac non nihil fimbriis, vel laciniis decenter ornata, vel certè tabulam ligneam, sacris imaginibus depictam, & coloribus, cœruleo præsertim, ornatam habeat, quæ cathenis ferreis è tecto, vel pariete pendentibus, aliáue firma structura, sustineatur.

Hoc verò integumentum, qualecunq; tandem sit, ita latè patere debet, vt ipsum altare, & Sacerdotem ibi Missæ sacrificium celebrantem, abundè contegat, adeò vt ille & altare à puluere omnique labenti sorde defendatur. Tantum autem ab altaris

altaris menſa ſit eleuata, vt quemlibet Sacerdotem ſacram hoſtiam eleuantem neutiquam impediat, & inſuper trium vel quatuor palmorum ſpatium, mediet intra ipſam hoſtiam ſacram, dùm eleuatur, & vmbellam, nec altius multo diſtare debet, quo commodius à pulueribus, quod frequentius faciendum erit, expurgari poſsit.

Menſa, Altaris ſit ex aliquo integro & ſolido lapide, longo 7. vel 8: lato autem 4. vel 5. circiter palmorũ, niſi ob altaris ſupellectilem, ſcilicet iconiam, Reliquiarum & imaginum multitudinem quæ ſæpè gradus quoſdam requirunt, ampliorem menſam confici neceſſe ſit. Quod ſi lapis iſte debitam latitudinem & longitudinem non aſſequatur, reliqua circumferentia, lateritio vel ligneo etiam opere ſuppleri poterit, ita tamen concinnè aptentur hæc, vt vnum altare vel menſa videatur.

Hæc porrò menſura de altaribus communibus, ſeu minoribus intelligenda eſt, nam ſummum altare ea longitudine & latitudine extrui vel conſtare debet, quam ſacrarum imaginum & Reliquiarum theſaurus & copia, atque ipſius Eccleſiæ dignitas, ſplendor & facultas requirunt.

Altitudo autem cuiuſcunq; Altaris hæc eſt, vt ſcilicet ſcabellum ſeu ſummus gradus à menſa illiúſue planitie ſumma, 4. & medio, circiter palmis diſtet,

ſtet, quæ ſi à conſecratione ſua fracta vel loco mota, aut ſepulchrum apertum, & violatum fuerint, amplius in eo non celebretur, ſed quid faciendum à nobis conſilium petatur.

Cæterum nullum in altari vſpiam ſit foramen vel capſa, cui oleum, munctoria candelarum, Reliquiæ ſacconia vel ſimilia, quibus mappæ, vel ipſum altare facile inficitur, imponatur, hæc enim alibi aſſeruanda ſunt. Si quod verò iam tale eſt foramen, aſſere vel lapide, ac cæmento obſtruatur.

DE ALTARI PORTATILI.

CAPVT XL.

SI Altare non ſit conſecratum, lapide conſecrato, quem altare portatile vocant, vti oporteat, hic erit modus adhibendus.

Lapis ipſe dedicatus & ſacer longus erit palmo vno & medio, latus verò vno palmo, & paulò amplius, ita vt Calicem cum patena, & ſi quando neceſſarium fuerit, pyxidem quoq;, cum videlicet frequenti populo ſacram Communio miniſtranda eſt, commodè capiat, ligno idem ſit circumdatus, & quaſi incluſus theca ſuprema eius planitie nuda duntaxat relicta. Altare autem magnum, cui portatile inſeri debet, hoc modo, maximè ſi perpetuus vel longo

longo tempore illic ſit futurus vſus huius Altaris portatilis, ſit inſtructum.

Solum eius id eſt planities ſumma eſt lata. menſa ex tabulis politis confecta atque ad illud contegendum vndique ampla ſternatur. In huius menſæ medio quod à cornu Epiſtolæ & Euangelij metiendum erit, foramen quadrangulare oblongum & à fronte altaris non plus medio palmo diſtans, excauandum erit, in quod dictũ altare portatile immittantur, ita vt in menſæ ſuperficie vix paululum aliquid exſtet, quo celebrantis tactu dignoſci queat, eius autem longitudo non ab vno ad alterum cornu, ſed à fronte in poſteriorem partem ſpectet.

DE VRCEOLORVM LOCO.

CAPVT XLI.

IVxta Altare in proximo muro à cornu Epiſtolæ, foramen fiat hamulis ſeu vrceolis, cum peluicula reponendis aptum, aut ſi loci ſtructura, vel in incommoditas id minus admittat, iuxta altare, ſit menſula quædam, aut ſedile, vel ſimile quid, mappula munda ſtratum, in quo dicta vaſcula commodè reponi poſſint Quod quidem nos præſcripto foramini præferimus & ex ſe decentius multo ac commodius eſſe videtur.

DE ABACO.

CAPVT XLII.

IN Ecclesiis autem insignioribus, iuxta altare summũ à latere magis opportuno, ad missam conuentualem sit abacus, quam credentiam dicunt, id est, mensa consuetæ magnitudinis, mappa alba & munda strata & vndiq; cincta & ornata: in qua duo candelabra cum accensis candelis, & per totum sacrum ardentibus, vrceoli, peluicula, velum Subdiaconi, calix cum omnibus suis requisitis, libri Euangeliorum & Epistolarum reponantur, & cum opus fuerit ad altare hinc ferantur, & ab illo huc referantur, & tandem finita Missa à Clericis omnia in Sacristiam auferantur. Formam huius insi à cap. 55. ad finem inuenies.

DE GRADIBVS ET SCABELlo Altaris.

CAPVT XLIII.

PRæterea ad quoduis altare, duobus vel tribus aut saltem vno, ad summũ altare pluribus gradibus, pro loci commoditate, ascendatur. Supremus autem gradus planus ille & latus in quo Sacerdos celebrans stat, scabello confecto ex asseribus politis, & bene compactis lato 4. vel 5. palmis instruatur, seu obtegatur,

tur, adeò vt æquè, & firmiter lapidibus hærens, (admoueri tamen & remoueri commodè poſsit) vt nulla ratione nutet, aut quemuis vel minimum ſtridorem vel fragorem omni ex parte calcatum efficiat: longitudine altare ipſum ſuperet, non nihil, aut adæquet, à fronte altaris coronicem habeat ſurſum tendentem, altitudine trium digitorum qua pallij ſeu antependij, de quo paulò infra agemus, extremitas excipi, & ne calceis aut ſputo inficiatur, contegi queat. Hoc verò ſcabellum per ſe gradum altaris, ſi opus ſit conſtituere poteſt, ſi ſcilicet lateralibus aſſeribus erigatur, ita vt concauum fiat, vel ſi ſint ſufficientes gradus, ſummum, modo præſcripto, tegere tantum.

DE TELARI SEV CORONICE lignea qua Altare nudum circundari debet.

CAPVT XLIIII.

VT autem palliis ſeu antependiis commodius, decentius & aptius altaria exornari poſsint, nuda, telari quodam inſtrumento cingantur hac ratione.

Coronix fiat ex nuce, quercu, ſeu alio ſolido ligno, benè polita, lata tribus digitis, vel paulo minus, craſſa verò vno & medio, & hac circundetur Altare in fronte & vtroq; cornu Epiſtolæ ſcilicet & Euangelij,

gelij,& illic muro, si altare parieti hæreat, insigatur firmiter, & in angulis, quæ à fronte altaris ad ima descendunt fulcris eodem modo, & ex iisdem lignis confectis sustentetur, quæ fulcra etiam in medio Altaris & à lateribus si altare longum valdè & latum sit, adhiberi poterunt & similibus lignis, hæc eadem fulcra prope terram, per transuersum positis vt firmius omnia inuicem hæreant, connectantur.

Sin aũt altare muro non sit contiguum, à tergo eadem ligna & Coronix adhiberi debeat, ita vt totum altare, suprà & infrà, ante & retro, atque à lateribus hisce lignis tanquam lato quodam clatro sit inclusum, quæ omnia eodem ligno, eademque forma constent, nisi quod illa ligna, quæ ipsam altaris mensam circumdant, quam nullo modo excedant vel superent altitudine, sed adæquent omninò paulò latiora esse conueniat.

Pars autem illa seu Coronix, quæ altaris frontem cingit, exiguas quasdam & versus altare oblongas fossulas, & tenuiter concauas habeat, quibus singulis, singuli vncinuli, vt iis pallij cordulæ, vel, quod commodius erit, minuti annuli, ipsi pallio assuti, annectantur. Ita verò hi vncinuli inserantur, vt altaris solum, nequaquam superent. Fossularum autem vna, in telari ad medium sit altaris, reliquæ verò

verò binæ, ternæúe vel plures, pro altaris longitudi-
ne æquali interuallo hinc indè distabunt. Eadem
quoque ratio erit, annulorum ipsi pallio seu an-
tipendio assuendorum, quorum vnus in medio, alij
bini, terniue vtrinque, ita vt vncis in Coronice po-
sitis adamussin, & ex æquo respondeant, inseran-
tur. Ita quoque disponantur hi annuli vt pallium
suspensum, nullas omninò rugas habeat, sed benè
& ad planum sit extensum. Quomodo verò à late-
ribus & ad scabellum componi debeat, infrà osten-
demus.

DE TELA INCERATA QVA Altare cooperiendum est.

CAPVT XLV.

IAm verò totum altare in summitate
mensæ seu planitie, tela alba (quæ eo
quod cera muniatur, & roboretur, ce-
rata dicitur) obtegatur, quæ circum-
quaque benè extensa clauiculis prædictis Coronici-
bus, ita tamen, vt fossulæ dictæ, quæ Coronici fron-
tali inserta sunt, liberæ & apertæ remaneant, affiga-
tur. Hæc etenim tela, præterquam quod vnius map-
pæ, ex tribus altari imponendis, locum suplet, hu-
miditatem omnem, ex altaris mensa seu lapide ex-
halantem, mirum in modum arcet, altare à sordi-
L bus

bus & pulueribus mundum conſeruat, & mappas ſuperimpoſitas à putredine & corruptione, quæ ex humore & ſordibus, citius & facilius cauſatur, egregiè defendit atque tuetur. Quam ob cauſam nunquam omninò ab altari remoueri debet, licet aliæ duæ mappæ frequenter mutentur (ſuprema enim ſæpius, vel ſaltem imminentibus celebrioribus Anni feſtiuitatibus amouenda & lauanda, atque alia munda & candida ſubſtituenda eſt) niſi feria quinta Cœnæ Domini, quando altaria omnimodè, iuxta Eccleſiæ præſcriptum, ſunt denudanda ac lauanda, & tunc Sabbatho ſancto debet reponi, vel ſi prior computruiſſet, noua alia, eodem modo præparata, ſubrogari.

Priuſquam autem ad vlteriorem ornatum altaris eiúſue ſupellectilem procedamus, non abs re viſum fuit, ea quæ hactenus de nudo altari diximus, quo facilius percipiantur, & exactius præparentur, hac figura, quæ nudum duntaxat altare repręſentat (nam veſtitum, ornatum & numeris omnibus abſolutum infra capite 55. ad finem huius tituli effingemus) quam in Germanico hoc loco habes, expreſſa oculis obiicere.

DE ICONIA ALTARI imponenda.

CAPVT

CAPVT XLVI.

QVoduis Altare iconiam ſeu tabulam quandam, cum deuota Chriſti Crucifixi, vel alia pia imagine picta vel ſculpta, vt moris eſt, habeat, quæ ſtudioſè à pulueribus & ſordibus quibuſuis expurgetur, & tempore ſuo diligenter claudatur, aperiatur & obueletur.

DE ANTIPENDII SEV Pallij forma.

CAPVT XLVII.

CVm Altarium ornatus à Palliis ritè decenterq; confectis plurimum dependeat, antequam ad altare veſtiendum procedamus, prius de pallij forma, materia & colore dicemus. Deindè vt eo altare exornari debeat, docebimus.

Forma itaq; pallij, de aliis enim formas præſcribere hoc loco minus neceſſarium exiſtimamus, hæc eſt: longũ erit & latũ ſecundũ altaris magnitudinem ac dimenſionem, à cornu Epiſtolæ ad cornu Euangelij, & à ſcabello ad menſam ſurſum deſumptam.

Altare autem ab vtroq; latere excedet, tribus digitis, ſuffulcietur tela alba, rubea, viridi vel alterius coloris, quæ ſuffultura ſeu tela ipſam pallij mate-

riam ſuffultam, tribus circiter digitis ex omni parte ſuperet. In fine vtriuſque lateris (& ſi opus fuerit etiam in imo margine) funiculos ternos quaternóſue habeat, quibus, fulcris, ſupra cap. 44. poſitis alligabitur. In ſummitate annulos tenues inſutos habebit, vt vncinulis ibidem commemoratis inſeri queat, ita diſpoſitos vt illis ex æquo reſpondeant & pallium extenſum aptè diſtineant.

Supra ipſum autem pallium à cornu Epiſtolæ ad cornu Euangelij, linea, quæ diſtet vno palmo à ſummitate altaris, vel fronte menſæ, ducatur, auro & ſerico texta, vel tota aurea, quam vulgo pæſſamenam vocant, fimbriis veſtium ornandis inuenta, cuiuſmodi omnes verè ſacras veſtes exornare conuenit. Ab hac linea, laciniæ aureis & ex ſerico contortis filis quatuor circiter digitorum longæ, decenter compoſitæ, dependeant.

Similis quoque linea ſeu fimbria ſine lacinij tamen in quatuor partibus æquè diſtantibus à fronte altaris, ſeu pallij vſque ad imam eius marginem perpendiculariter ſub laciniis demittatur. hiſce enim fimbriis ſeu lineis aureis (quamuis vbi vel ſumptus deſunt, vel materia pallij vilior eſt, hæ quoq; lineæ ex viliori materia, vtpote ſerico vel ſubſerico conſtare poſſunt) pallia paruo ſumptu mirificè ornantur. Secundum hanc verò formam omnia alia pallia

lia cuiuſcunque materiæ, coloris, vel amplitudinis conficiantur. plura enim in quauis Eccleſia benè inſtructa pro Feſtorum & colorum varietate, adeſſe conuenit. Formam huius infra hoc loco habes.

DE MATERIA PALLII.

CAPVT XLVIII.

EX materia conficiatur pulcherrima, & quantum fert Eccleſiæ cenſus, pretioſiſſima. quippè quod materia, non ſecus ac colore, cum Caſula, Dalmaticis, ſtola, manipulo & pluuiali conuenire debet.

Primum itaque locum obtinet, aurum, argentum, gemmæ & margaritæ, de qua maiores noſtri, vt in multis huius Diœceſis Eccleſiis, iucundiſsimo piorum ſpectaculo, etiam hodie videre eſt: plurimas eaſque ſumptuoſiſsimas ſacras veſtes conficientes, inſignem Zelum, feruorem & pietatem ſuam, in Deum eiuſque domum, poſteris teſtatam reliquerunt.

Horum itaque veſtigiis inſiſtentes, & munificam liberalitatem æmulantes Eccleſiæ opulentiores, veſtes ſacras, ex auro, argento, & gemmis comparabunt, quibus conficiendis, tela illa quæ argentea vel aurea (eo quod filis aureis & argenteis


textaſit) dicitur, eſt omnium aptiſsima. Nam ſi non deſunt homines, qui vt putrida ſua cadauera & vermium ſaccum, huiuſmodi materia exornent, omnes orbis partes rimantur, & ab extremis etiam Indis, quæ terra noſtra non habet, ingenti ſumptu euocant, quid mirum ſi Eccleſiarum Prælati nihil quoque, quo Deum honorent & Eccleſiam ornent, ac altaria in quo Chriſti corpus conſecratur, offertur, tractatur, & ſumitur, auro & argento redimiant, intentatum relinquant.

Aurum & argentum, ſequitur villoſa ſeu holoſericum, & omnis generis ſericum, quod in varias ſpecies diuiſum, varia quoque ſortitur vocabula. Eſt & alia quædam materia ſubſerica, media inter ſericum, & telam communem, qua pauperiores Eccleſiæ vti poſſunt. Pannum enim laneum & lineum (niſi quantum ſuffultura requirit) à ſacris veſtibus, extra ſuffulturam, quantum fieri poteſt, longè abeſſe deſideramus: ſicubi tamen iam ſunt vel à piis, in defunctorum præſertim memoriam offerantur, vſum earum toleramus.

DE COLORE Pallij.

CAPVT

CAPVT XLIX.



Olore Pallium, Caſulæ, Dalmaticæ, Pluuiale, Stola, manipulus & vela, prout ſæpe iam repetitum eſt, conuenire debent. Plura ergò antipendia, ſeu Pallia, pro colorum varietate, quibus Cathedralis Ratisbonenſis Eccleſia, quam in hoc omnes, vt matricem & magiſtram abſolutam & perfectam imitabuntur, vtitur, conficienda erunt. Vt autem aliquas Eccleſias, quæ tenuiores redditus habent, à pretioſiori atque adeò multiplici ſupellectili, facile excuſari patimur, ita nobiliores, & amplioribus fructibus gaudentes, copioſo magiſque ſumptuoſo Eccleſiaſtico apparatu, quo diuini cultus maieſtas, mirificè promouetur, omninò & ſine vlla tergiuerſatione inſtructas & exornatas eſſe, volumus atque mandamus.

Quo autem colore, quouis die per anni circulum vti oporteat, in cęremoniali Ratisbonenſi, quod propediem quoque, vita comite, edemus, enucleatius ac ex profeſſo docebimus.

VT ALTARE ORNANDVM
& veſtiendum ſit.

CAPVT L.

ALtare itaque modo prædicto extructo & præparato, pallioque vt mox præmissum est, confecto, hoc modo erit ornandum.

Primo omnium expediantur illa, quæ in eminentiori sunt loco, & forte requirunt, vt ipsum altare conscendatur, vt si floribus, frondibus, velis, auro, argento, margaritis, vel aliis ornamentis sint redimiendæ, Christi vel Sanctorum imagines: & si altare ascendendum sit, calcei vel crepidæ sunt exuendæ, & altaris mensa, panno vel corio est tegenda.

His expeditis, remoueatur paululum ab altari scabile, & illi tapete vel pannus pulcher, viridis vel rubeus, & iuxta Ecclesiæ facultates pretiosus, iniiciatur, expansus, duplicatus tamen nunc, ita vt pars inferior, pedibus, cum frequentius circa altare discurrendum sit, calcetur. Superior autem ab intus immunis & munda remaneat: ita late vndique patens, & cunctos altaris gradus ex omni parte, & eum insuper pauimenti locum, in quo Sacerdos cum ministris, dùm Missam incipit, stat, abundanter contegat.

Quando autem & quomodo tapete hoc siue pannus explicandus & componendus sit, infrà ordine recurrente, dicemus. Notan-

Notandum tamen hoc loco in opulentioribus Ecclesiis varia profestorum occurrentium solennitate vel simplicitate, adesse debere peristromata. In aliis autem quæ paupertate premuntur, sufficit die Dominico & festo, pannum mundum, rubeum, vel viridem ponere, & post vesperas iterum remouere, purgare & reponere: Si enim antequam reponantur bacillis excutiantur, & deinde scopis, de quibus infrà capite 78. ad hunc tantum vsum deputatis, purgentur, plurimis annis vnum tapete vel pannus Ecclesiæ seruire potest. Si contingat hæc cera infici, vt fieri assolet, & caueri vix potest, ne à muribus aut tineis corrodatur, citiusque corrumpatur, statim vasculo aliquo ferreo, vtpote cochleare viuis carbonibus repleto, mediante papyro extrahatur.

Hinc pallium antipendium telari ligneo, seu fossulis, & vncinulis supra notatis, per annulos suos inseratur, ita vt altaris frontem totam obtegat. Deinde funiculis suis, extremitatibus assutis, vtrinque modestè extendatur, adeò vt rugæ nullæ nec plicæ appareant, qui fulcris ligneis, quæ supra cap. 44. à lateribus altaris, adhiberi iussimus, alligentur, ita vt commodè resolui possint.

Ad ornatum autem altaris plurimum conducit, si pallium rectè & aptè apponatur, quod tunc

M fit,

ſit, quando laciniæ à menſæ fronte, & lineæ perpendiculares ab vtròque cornu ſeu angulis anterioribus altaris æquè diſtant.

Hoc iam ſic expedito, ſternatur altare tribus mappis: niſi altare tectum ſit, tela cerata, modo ſupra præſcripto, tunc enim duæ ſufficiunt. Inferiores duæ, poſſunt eſſe minores & craſsiores telæ, ita tamen vt menſam altaris operiant, nec eſt neceſse, vt eandem excedant. Idem etiam fieri poteſt, ſi vnica mappa duplicetur, dummodo menſam tegat.

Suprema autem mappa, tela munda tenuiore, & artificioſè texta, conſtare debet, ita longa, vt in vtroque cornu ſeu altaris latere terram penè attingat, lata verò vt menſam altaris abundè obtegat, & in fronte, duobus digitis, & per conſequens etiam in vtroque angulo anteriore, excedat.

Tunc altaris menſæ ſic tectæ, imponantur gradus (ſi illis ſit opus) ſerico vel ſaltem tela candida velati, in quibus Reliquiæ, flores imagines, & alia ad ornatum altaris ſpectantia, collocentur.

Exceſſus illæ mappæ, pallium ipſum apprehendat, & quaſi circumdet, vel ambiat hoc modo. ſuperior pars hinc indè benè attracta aciculis in vtroque cornu pallio, vel telæ qua ſuffultum eſt, figatur.

gatur. Deindè lateralis excessus superinducatur, ita vt angulum quendam efficiat, vbi iungitur frontali, & in eadem latitudine, vsque ad scabellum, aciculorum adminiculo deducatur, tali industria, vt hę partes mappæ abundantes, pallio circumquaque aptè, æquè & concinnè adhæreant. Et hoc quidem in Ecclesiis pauperibus sufficit.

Vbi autem Ecclesiæ opulentiores sunt paululum, & Prælatorum cura & sollicitudo, in ornanda domo Domini exactior, habeantur fimbriæ quædam, latæ trium vel quatuor digitorum, longę verò sedecim plus minus palmorum, nisi altaris longitudo, vlteriorem quoque mensuram requirat.

Possunt autem hæ fimbriæ esse tales, quales passim circumferuntur, vt scilicet fundamentum sit tela pura & tenuis, textura autem, seu acupictura sit ex filis rubeis, cæruleis, viridibus, &c. sericis intortis: vel fundamentum (si preciosius haberi lubeat) sit sericum aut holosericum rubeum alteriúsue coloris, variis flosculis, circulis & emblematibus, ex serico auro vel argento fictis, Phrygionis opera vndique elaboratum & ornatum. Hac igitur fimbria, mappæ extremitas, & pallij margo contegatur hoc modo.

Sumatur medium fimbriæ, & aciculis in medio quoque frontis altaris, mappæ & pallio, vel eius

ſuffulturæ figatur, ſupernè & infernè, ea altitudine, vt altaris menſam adæquet. Deindè ducatur vtrinque ad vtrunque altaris cornu, leniter & aptè extenſa, ita vt nuſquam, à pallio vel mappa diſtet aut diſcedat, ibíque rurſus mappæ & pallio figatur. Poſtea partes reſiduæ dependentes, ita reducantur, vt priori lineæ imponantur, vt in ſummitate anguli altaris, angulum quoque altari æqualem, aciculis adhibitis efficiant, & ea parte qua ornatæ ſunt, laterales, fines mappæ, vſque ad finem pallij, decenter, vt de fronte diximus, obtegat: Aciculis autem toties & ita firmiter muniatur vbique, vt nec celebrantis motu auellatur, nec vlla parte à mappa & pallio diſsideat.

Hac itaque fimbria, ſi altare modo præſcripto, dexterè ornetur, dici vix poteſt, quantum ſplendoris & decoris ipſi conferat.

Iam verò ſi quis ſubſtratorio, id eſt linteo, quod Corporali immediatè ſubſternitur, auro, argento, ſerico ſeu alio modo in margine ornato, vti voluerint, quodq́ue mappæ quoque locum ſupplere poteſt, (id quod nos liberum relinquimus) nunc mappæ in medio altaris imponatur, ita vt à fronte nonnihil verſus ſcabellum duobus ſcilicet tribúſue digitis deſcendat, aciculis autem ita firmetur, & mappæ fimbriæ vel pallio nectatur, vt loco ſuo, dùm ſacerdos

cerdos hinc indè transit, & se subindè vertit, non moueatur.

His absolutis, scabellum altaris tapete vel panno, vt supra diximus, tectum, & coronice illa, quæ altare respicit, etiam ea parte, qua pallium attingit, eodem tapete vel panno inuoluta, ita admoueatur, vt Coronix illa, pallij, mappæ, & fimbriæ extremitates simul appræhendat, firmiterque contineat. Deinde tapete ipsum seu pannus per omnes gradus & pauimenti partem extendatur, & ita accommodetur, vt gradus omnes, & anguli benè formentur, & nulla vspiam ruga aut plica appareat, illud autem quod ex angulis vel aliundè super effluit, ad duas tantum plicas, ab vtroque altaris seu graduum cornu faciendas, reducatur.

Hinc Candelabra altari imponantur munda & benè expurgata, singulis enim mensibus (in aurea & argentea sint, tunc enim ceram à candelis defluentem dexterè auferre sufficit, & semel in anno, si studiosius purgentur sat est) ea vel acri lixiuio lauari, vel, si ex orichalco constent, puluere lateritio perfricari, aliisue notis modis mundari conuenit. Ne autem pede suo mappam altaris inficiant, charta vel corium rubrum oblongum, ita vt etiam mappam à cera defluente defendere possit, supponatur.

In altaribus minoribus, & Ecclesiis, vbi tenues

ſunt redditus, etiam in ſummo, ſufficiunt duo Candelabra, integris, & conueniente magnitudine cereis, ſine quibus, iiſque accenſis Sacrificium Miſſæ nunquam omninò celebretur, impoſitis.

In Eccleſiis autem opulentioribus, & in quibus diuinus cultus ſolennius peragi conſueuit, sex in ſummo altari ponantur candelabra, ab vtroq; videlicet cornu tria, eo ordine, vt à cornu ad medium altaris, verſus oppoſitum cornu locētur, ea altitudine vel cereorum longitudine, vt quaſi gradus quoſdam conſtituere videantur, nimirum illud quod eſt iuxta altaris medium, ſit paulò demiſsius, vltimum quod eſt propè altaris marginem ſit infimum, ita, vt quantum medium à primo deficit, tantum vltimũ à medio quoq; deficiat: quod ad ſitum vero, diſtantia erit æqualis vbique.

In medio candelabrorum crux aurea, argentea, ærea vel alia (niſi iconia ipſa pro imagine conſueta crucem contineat, vt etiam in altari infrà cap. 55. videre eſt) collocabitur, volumus enim & ſerio mãdamus, vt in quouis altari, in quo Sacrum faciendũ eſt, illo ſaltem tempore, quo Miſſa celebratur, Chriſti Domini noſtri crucifixi imago habeatur, quę altitudine candelabrum proximum adæquet, vel ſuperet paululum, ſi quo minus, pes aliquis ligneus, rubeo ſerico inuolutus adhibeatur, vt eo mediante Crux dictam altitudinem aſſequatur. Ante

Ante Crucem tabulam quandam ſeu chartam (quã paucis ab hinc diebus impreſſam & typis mandatam habebunt) in qua Hymnus Angelicus, Symbolum Nicænum, verba conſecrationis & non nulla alia habentur, locabunt. Charta autem illa telæ aut tabulæ ligneæ quo tutius & diutius conſeruetur integra, adglutinanda & circumquaq; quatuor coronicibus ornanda erit, quę pro maioribus feſtiuitatibus inauratæ, & figuræ, emblemate, ac maiuſculæ literæ in tabula expreſſæ coloribus; auro quoque & argento illuſtratæ ſint.

Separatim quoque in charta oblonga, Euangelium S. Ioannis, quod in fine Miſſæ in altari dici debet, excudetur, & hæc quoque charta, tabellæ affigatur, quæ perpetuò in altari, ad cornu Euangelij, quo celebranti præſto eſſe poſsit, remaneat.

His tandem omnibus expeditis, tota altaris menſa, corio mundo, vel rubeo, tela rubea, cærulea, vel viridi ſuffulto, aut certè hac ipſa munda tela, obtegatur, & tunc demum, quando diuina ſunt celebranda, vel etiam horæ cantandæ, amoueatur. Hoc itaque modo, ſi altare inſtructum & ornatum erit, id quod plus laboris & induſtriæ, quam pecuniæ, & ſumptus requirit, perfectum vtcunque erit, & abſolutum, tantiſque myſteriis per agendis, non omninò indignum.

Et

Et de hoc modo componendorum altarium: qui in maioribus duntaxat festiuitatibus, Christi scilicet, beatissimæ virginis Mariæ, Apostolorum, Ecclesiæ patronorum, Dedicationis die, & quorundam illustrium sanctorum adhibendus est (nam ferialibus ac Dominicis per annum currentibus diebus, & minoribus festis, minori quoque apparatu opus est, dummodo ea quibus qualicunque modo altare ornatur, aptè & decorè accommodentur) si semel aut iterum Parochi vel sacerdotes, aut alij quibus Ecclesiarum munus incumbit, & cordi est, suos æditous instruant, perpetuis deindè temporibus in Ecclesia sine vlteriore illorum labore, dummodò ipsi omnia inspiciant, regant & dirigant, magna piorum ædificatione, mos hic perseuerabit: Figuram instructi altaris, & ad celebrandum parati, infrà ad finem huius tituli in Germanico positam habes.

DE CLAVO BIRETI.

CAPVT LI.



IVxta altare à cornu Epistolæ, in muro proximo, à pauimento non altius quinque palmis, clauus ferreus, aliquo ornamento, præsertim ex orichalco affigatur, à quo Biretum sacerdotis celebrantis

brantis suspendatur. Prohibemus enim serio, ne pileum, biretum, subbiretum, chyrotecas, sudariolum (illo dempto quod ad Calicem est destinatum & infrà cap. 65. descriptum) aut quocunque denique huius generis, vt à quibusdam hactenus indigne factitatum esse videmus, in altare sub Missarum solennia ponant. quanta enim sit irreuerentia, vt hæc sordida simul cum Christi Domini corpore, in eadem altaris mensa maneant, quis quæso non videat?

DE TINTINNABVLO.

CAPVT LII.

CIrca idem altaris cornu, in pariete laterali, tintinnabulum affixum hæreat, appenso funiculo, tàm longo, vt Clericus minister cum corpus Domini eleuatur, dextera manu, dum sinistræ Casulæ fimbriam (quam sumendo reponendo reuerenter osculabitur) tenet, modestè trahendo, tinnitum, quo astantes ad adorandum Christi Domini Corpus inuitantur, edere commodè possit.

Decet autem vt hoc tintinnabulum sit retro sacerdotem, ne ipse vllo modo, si iuxta altare muro hæreat, interturbetur.

Si autem non sit bona occasio ponendi illud,

gestatorium vel cymbalum quoddam, quo gratus valde sonus editur, habeatur.

In summo autem altari, pro Missa Conuentuali, vbi plura tintinnabula rotis affixa non habentur, maiusculum, & quod manu commodè pulsari possit, adesse debet.

DE CANDELABRO LIGNEO.

CAPVT LIII.

RETro Sacerdotem ad Altaris radicem quatuor, quinque, sex vel septem palmis, ab infimo gradu, iuxtà loci & Cancellorum, de quibus mox, commoditatem, vel amplitudinem, candelabrum sit ligneum, decorè ac opere tornatili confectum, sex circiter palmis altum, in summitate illa plana, lamina ferrea, in finibus nonnihil, vt ceram defluentem excipere, & retinere valeat, erecta, opertũ: in cuius centro, quatuor columellę ferreę in quadrangulo æquè distantes, quæ ferreo quoq; ligamine cohibeantur, exurgant, altitudine medij palmi & paulò amplius quibus cōmodè fax, seu candela aliqua maiuscula, quæ eleuationis tempore accendi solet ac debet, inferri possit.

In summo verò altari, duo talia ex nuce sint candelabra, accuratius tamen & pulchrius, cælaturis siue sculpturis, & certis locis auro, aut alio quouis modo decenter exornata, habeantur. Sicu-

Sicubi tamen vſus eſt cereoſtatas longas, plures in eleuatione, præter dictas faces, & candelabra adhibere, ſeruetur.

In nobilioribus Eccleſiis & maioribus feſtiuitatibus conueniret, ad ſummum ſacrum quatuor vel ſex Clericos pueros ſuperpelliceis indutos Eleuationis tempore, è Sacriſtia, cum totidem facibus ardentibus prodire & retro Sacerdotem, aliquot paſsibus, pro loci opportunitate, flexis genibus, & erectis facibus, quoad vſque Eleuatio peragatur, perſeuerare, ac deindè facta debita reuerentia, in Sacriſtiam ardentibus facibus redire.

Duplicis candelabri precioſioris videlicet, quorum duo ad ſummum, & vilioris quod vnum ad commune altare adhibendũ eſt, figurã infrà habes.

DE EXTINCTORIIS.

CAPVT LIIII.

PRo extinguendis in altaris candelis & facibus, tempore Eleuationis accenſis, extinctoria quædam, ex tenui eaq; alba lamina ferrea (quæ & ſubindè repurgari debent) iuxta ſubiectam figuram conficiantur. quæ infrà latè pateant, & ſupra in acumen pyramidale deſinant, bacillis autem aptè inſerantur, vt per ea cerei, quamuis altè poſiti, à miniſtris decenter

posſint extingui. Horum quædam maiora ad facum & maiorum cereorum quædam minora, ad minorum candelarum vſum habeantur. hiſcè enim commodè, & ſine ceræ diſpendio, candelæ extinguuntur, & fumus omnis ac fœtor præcauetur.

DE CANCELLIS.

CAPVT LV.

DEceret quidem quodlibet altare, præſertim ſi in Capella aliqua, quæ ianua caret, collocatum ſit, ſepire & munire clatro ferreo, in ſummitate præacuto, palmis vt minimum ſex alto, in altiori & fortiori, altaria muniri oporteat, paruulis pilis ex orichalco in imo, medio ac ſummo ornatu, propè terram verò opere aliquo artificioſo, ferreo ita inter ſe denſe inſtructo, vt canes penetrare non valeant.

Verum vbi hiſce vel natura loci, vel Eccleſiarum anguſtia, vel prouentuum tenuitas obſtat, permittimus vt altaria ligneis tantum (in hiſce enim partibus marmoreos qui plurimum ornamenti altaribus & Eccleſiæ conferrent, haberi difficile nimium arbitramur) cancellis ex nuce opere tornatili decorè confectis ambiantur, qui in ſummitate coronice decenti & vno palmo plus minus lata nectātur, vt videlicet mappa ſtrui, & populo communicanti vſui eſſe poſsit. Qua-

Quare ea altitudine hi Cancelli esse debent, vt genu flexus, pectore summitatem seu coronicem attingat, quæ est quatuor palmorum. Ea autem amplitudine altare circumdent, tantumque loci seu spacij capiant, vt minister intrà Cancellos commodè celebranti inseruire valeat. Sin verò hoc loci & Ecclesiæ angustia non permittat, instruatur minister, vt decenter extra Cancellos genu flexus maneat, suoque tempore, sacerdoti opportunè adsit.

Quod ad altare summũ, cum inter illud & Chorum ac reliquam templi nauim, murus sæpè aut Cancelli ferrei interiaceant, altare ipsum denuò clatro ferreo sepire non est necesse. Cancellis tamen ligneis præscriptis circumdare, præsertim si sit illic frequens communionis vsus, chorus amplus, & alia non obstent, non est indecorum, tantum autem tunc inter altare & Cancellos spacium relinquatur, vt celebrans cum Diacono & Subdiacono sacris ritè commodè decenterque assistere possit.

Appendicis tandem loco monemus, vt nullum altare in Ecclesia permittatur, quin aliquoties imò frequenter in anno, in eo diuina libentur mysteria. Curandum quoque est, vt omnis Ecclesiastica, & altarium supellex, quæ benedici consueuit & debet ab Episcopo seu alio, authoritatem habente, ante omnem illius vsum benedicatur.

Meminerint autem Parochi, vt ex antiquis, ſeu laceratis veſtibus ſacris, quæ reſtitui, & refici nequeunt, alia quædam Eccleſiæ quoque vſui futura, confici procurent, vt vid. ex rebus ſericis burſas, loculos pro oleo ſacra, manipulos, ſtolas, puluillos, &c. Ex lineis autem vt alba, &c. humerale, manu tergia, linteola, &c. & ſic de aliis. Illa autem quæ nullo planè vſui amplius accommodari poſſunt, igni abſumenda tradantur.

Forma autem ſummi altaris inſtructi (ex hoc enim vt alia ornanda ſint, nullo negotio intelligetur) quam ſupra cap. 50. promiſimus, hæc eſt. Et quoniam abacum ob loci anguſtias iuxta ad cornu Euangelij ponere, vt volebamus, nequiuimus, eum ſequenti chartæ ſubiiciemus.



Titulus

Titulus octauus,

DE SACRISTIA ET QVÆ AD ILLAM SPEctantibus.

DE IPSA SACRISTIA.

CAPVT LVI.

SAcristia debet esse locus amplus satis, lucidus, ianuis, seris, pessulis, clatrisque ferreis, benè munitus, & ab omni humiditate præseruatus. Quod si natura loci sit vliginosus, curandũ est, vt artificio & ingenio iuuetur, ne ornamenta & vestes sacræ, quibus humiditas maximè officit, computrescant.

Vndè si humor timetur ex pauimento, sternendum est illud, vel asseribus, vel alio quouis modo, periti alicuius Architecti iudicio ac consilio, ad siccitatem conducente.

Fenestræ item, quæ duæ vt minimum esse debent, ac si fieri potest, in lateribus sibi ex opposito, ob aërem transeuntem correspondentes: tempore pluuiarum, nebularum, & quando spirat Auster, sint clausæ, apertæ verò cœlo sereno, aëre puro, & quando Aquilo regnat: & ob hoc ipsum fenestræ sint vtcunq; amplæ, & ita constructæ, vt facile aperiri & claudi possint.

Vestes

Vestes præterea sacræ, sæpius lento soli, qualis ferè in Vere & Autumno esse solet, exponantur, aliisque his similibus mediis & remediis perniciosa Ecclesiasticæ supellectili humiditas propulsetur.

In capite Sacristiæ sit altare, vel saltem eminens aliqua imago, in quo loco sacerdos se sacris vestibus induat & exuat. Quod si angustia loci, id non patiatur, armarium aliquod, in quo sacræ vestes aliquæ, vel alia reponi possint, altaris mensam repræsentet, quod vt altare, mappa aliqua munda vel saltem panno viride, in Ecclesiis vero illustrioribus, etiam pallio sit coronatum.

Iuxta illud tabula, quæ orationes eas, quas celebraturus, dum se vestit, dicere consueuit, contineat, coronice decenter cincta, à clauo ferreo dependeat.

Ex altero altaris vel armarij latere, alia, priore paulò minor tabella sit, chartam (quæ nullo negotio apponi & reponi possit) continens, in qua per totam hebdomadam singulis diebus dicenda sacra, & assumendæ orationes seu collectæ, sint descripta, quibus & colores sacrarum vestium, illa septimana occurrentes, addi poterunt non incommodè.

Præterea sint in Sacristia, aliqua receptacula, & loca meditationi & orationi, confessionique apta, vt si sacerdotes ante sacrum, si opus sit (semper vero,

rò, ſi non opus,ſaltem pium & conueniens eſſe videtur) ſe reconciliare per Confeſsionem poſsint, & ibidem (ni hoc coram venerabili Sacramento vel altari in Eccleſia,expedire magis lubeat) orationi, ac gratiarum actioni, Miſſa peracta,opportunè vacare valeant.

Hæc verò loca ita decet eſſe compoſita, vt orans imaginem in pariete affixam obiectam habeat, & à lateribus diſtractioni nulla detur occaſio: adſit ibidem ſcabellum,in quo ſacerdos decenter genu flexu, orationi inſiſtere poſsit.

Quapropter curabunt Parochi, vel Eccleſiarum Prælati & Rectores, vt in Sacriſtia, quantum negotia neceſſaria & miniſtrorum officia patiuntur,perpetuum ſit ſilentium, vndè & negotiationes quaſuis, diſcurſus non neceſſarios, deambulationes, conuentus,collocutiones, confabulationes, riſus & his ſimilia,remoueant omninò. Hæc enim,& ſi hoc in loco,quouis tempore ſacerdotes,maximè tamen, quando ſacris veſtibus induuntur, vel iam induti ſunt cauere debent, cum multi, maximo piorum ſcandalo, & offenſione, ad ſacrificandum iam induti, confabulationibus & riſibus,tanquam ad profanam quampiam menſam ituri, vacare ſint viſi: quod ne fiat impoſterum, ſub graui pœna, ſerio interdicimus. ſed tunc ſi quid temporis ſuperſit, vel

aliquantula mora facienda, Missam diligenter prævideant, & singulas partes ac Collectas ita notatas habeant, vt in altari, nec quærant, per folia discurrentes, nec hæreant, ingratas moras nectentes.

Insuper oculos, linguam & aures diligenter custodiant, sensusq; omnes cohibeant, se ipsos colligāt, & orantes mentem in tanti mysterij cogitatione defigant, indignitatem suam, excellentiam tanti ministerij, quis, quid, cui, pro quibus offerant, & alia his cognata, mente exactius pertractent. Hinc enim facile fiet, vt sacerdos totus in Deum accensus & inflammatus, ac planè terrenis curis auocatus & liber, dignū Deo, & Ecclesiæ perutile præstet obsequiū.

DE LAVACRO SACRISTIÆ.

CAPVT LVII.

IN aliquo aptiori loco, &, si Sacristiæ amplitudo id patiatur, ab altari remotiore, lauacrum ex marmore, lapidéue alio solido, vel certè stanno aut cupro præparetur, ita vt aqua, quæ ex gutturnio defluit, mox per inferiores meatus, rursus effluat, ne sordium colluies fœtorem causet. Quod si pollubro aliquo vti sit necesse: illud singulis diebus, absolutis sacris, aqua in fluuium aut Cœmeterium proiecta, eluatur & mundum reponatur.

Iuxta

Iuxta adsint duo mantilia seu manutergia, alterum latum satis & longum, in quo Sacerdos: alterum paulò vilius, in quo minister lotus, manus abstergat. quæ ne sordibus inquinata appareant, die Dominico, vel certè alternis septimanis mutabuntur.

DE ARMARIIS SAcristiæ.

CAPVT LVIII.

ARmaria tot sint, & tam ampla, tamq; politè & affabrè constructa, eoq; ordine distincta, & intrà Sacristiam, debitis locis, accommodata, quot & qualia, & Ecclesiarum census patiuntur, & sacrarum vestium, Calicum, Purificatorium, Corporalium, velorum, vrceolorum, sudariolorum, mapparum, manutergiorum, librorum, (missalium præsertim, quæ extra vsum suum clausa semper & occlusa maneant, ac si non sericis, vt deceret, saltem ex filo textis signaculis, lora enim nimis crassa & inepta sunt, librum distentant, & illico sordescunt: iisque sufficientibus, ne inflexis foliis, vt quidem rusticè satis faciunt, loca notare oporteat, sint distincta) cereorum, aliorumq; vtensilium supellex, varietas & copia requirit, quæ omnia sint firmis seris & valuis munita & clausa.

Illa autem in quibus Pluuialia, Casulæ, Dalmaticæ, pallia, vel alia ex serico, vel preciosiori materia confecta asseruantur, ea forma & amplitudine constare debent, vt prædicta ornamenta suspensa, non deposita & iacentia ibidem asseruari possint. Hac etenim ratione à tineis, humore, graueolentia, corruptione, rugis ac plicis, rectius, tutius, diutius, & commodius custodiuntur.

Huiusmodi autem armarij structuram, & si ingenio Parochorum vel Prælatorum, vel fabrorum inuentioni relinquamus, formam tamen aliquam, non omninò ineptam, huc apponere libuit, vt si fortè aptior non occurrat, hac (quæ paucissimis expensis parabitur) omninò vtantur. Est autem hæc illius structura.

Armarium fiat, altum, decem vel vndecim, latum quindecim vel sedecim, profundum septem vel octo palmis, nullo planè interiecto assere, aut loculis distinctum, sed totum longum ac latè patens, à tergo angustius, à fronte aliquantò latius sensim patens. Ostium habebit pro latitudine armarij bipartitum, & ad vtrunque latus digrediens, seris optimis, ac pessulis præmunitum. Armarium intus ab vtroq; latere, erectos fustes seu vectes, fibulis ductilibus annexos, vertiles, seu volubiles habeat, sibi ex æquo vtrinq; correspondentes, inter se verò palmo

vno

vno circiter distantes, quibus singulis, à superiori parte, singula longuria, tàm longa, quàm latum est totum armarium, vncinulis vtrinque ferreis adiectis, inferiori suffixo fulcimento sustentata, firmiter hæreant, à quibus sacra indumenta, mediis circulis politis, vel aliis in curuatis lignis impositis, & funiculis dictis vncinis immissis, dependeant. Pallia verò ad longum extensa, ex altera longurij parte, ab vncinis, suffultæ telæ extremitate, vel eisdem annulis, quibus altari nectitur, suspendatur.

Quod si hoc modo vestiarium construatur, mirum est, quanta copia sacrarum vestium, quanta quoque commoditate & fructu, in eo recondi & asseruari possint.

Aduertendum tamen est, hoc armarium extrui non posse, nisi in Sacristia (quippè quod multum loci occupet) satis ampla. Vndè vbi angustiores sunt Sacristiæ, extra illas in aliquo loco tuto, & seris item benè munito, intrà tamen Ecclesiam, locari poterit. Huius formam infrà habes.

DE CALICE.

CAPVT LIX.

MAteria Calicis, à iure permiſſa, eſt aurum, argentum, & ſtannum: prohibita verò, orichalcum, cuprum, lignum, vitrum, lapis, cryſtallus. Curandum tamen eſt omninò, vt ſaltem ſumma eius pars, quam cuppam vocant, id eſt, ſuprema illa pars caua, quæ liquores recipit: & pes (qui ex quouis metalli ſolidi genere, quod nec flecti, nec frangi facile valeat, confici poteſt, in ſuperficie tamen cuppæ, inaurando ipſum vel deargentando, conformari per omnia debet) quo nititur, ſit ex argento, ſin minus, ex auro. Quod ſi cupreus ſit Calix, vt nonnullos vidimus, totus inauretur.

Forma verò Calicis, ſit communis, ita vt pes ſit vel rotundus, aut ſex- vel octangularis, eaque pro calicis altitudine, latitudine, vt non facile Calix concidat, ſed firmiter vbiuis poſitus hæreat. Inter pedem & cuppam arundo quædam ſit, ita alta, vt Calix manu apprehendi commodè poſsit. In medio arundinis nodus, gemmis, ſi per facultates liceat, ornatus: ſin ſecus, leuis ſit omninò & raſilis, quo & certius & aptius capiatur ac celebrantis manus nullo modo lædantur.

In pedis ſuperficie & cuppæ conuexo, variis poteſt Cælaturis, Emblematibus, & ſacris imaginibus, maximè verò Paſsionis Chriſti myſteria repræſentan-

ſentantibus, ornari, qui tamen ornatus, duobus vel tribus digitis à cuppæ labio diſtare debet. Labium autem in ſummitate non ſit latum, ſed quaſi acutum. Nulli interius, vel exterius circuli ducantur, ſed omnia plana & leuia ſint.

Rimam quamuis minimam & notabilem inflexionem quam dum cadunt, vel alliduntur, contrahunt, penitus habeant nullam.

Tot verò, & tàm precioſi ſint Calices, quot & quales illius Eccleſiæ diuinus cultus, Miſſarum frequentia, redituum vbertas & amplitudo requirit, qui omnes, antequam in iis conſecretur, ab Epiſcopo benedicantur.

Magna inſuper adhibenda eſt diligentia, vt mundi & nitidi conſeruentur. Vnde Parochorum ſeu Prælatorum cura & prouidentia, ſingulis annis bis, térue lauabuntur. Hæc autem ablutio à Sacerdote, Diacono vel Subdiacono: quibus ſolis nudis manibus, nudos Calices tractare conceſſum eſt: hoc modo commodiſsimè, & ſine auri argentíue iactura fieri poteſt.

Primo immergantur in aquam tepidam, pręparatam in ea pelui, quam infrà cap. 71. deſcribemus, quæ deindè aqua in ſacrarium, vt omnia alia, ab huiuſmodi ablutione defluentia, proiiciatur. Poſtea ſapone cum acri lixiuio in pultes quaſi concocto, vndique

dique benè oblini antur, & ſic, ſi non per totam no-
ctem, ſaltem per aliquot horas, loco tuto relinquan-
tur. Hinc aqua calida benè abluantur, ſetaceo, auro
& argento fricando aptato, in remotioribus angulis
& latebris (ſi quo minus ſaponis aqua elui poteſt) le-
uiter adhibito, benè omni ex parte mundētur, & ter,
quatérue abluti, in aquam limpidiſsimam, frigidam,
de puro fonte hauſta, immergantur, indeq́ue ex-
tracti, non abſterſi, in menſa aliqua, mappa munda
inſtrata, ſoli, tempore quieto & ſereno: vel ſi hic
haberi non poſſet, in hypocauſto mundo, calori,
ſiccandi exponantur: & demum ſic mundi, & benè
ſiccati, candidis & lotis ſacculis ſuis inuoluantur. Vt
verò calices confici debeant duas egregias & ad ce-
lebrandum maximè idoneas formas ſubiectas ha-
bes, alteram quidem precioſiorem paululum, vi-
liorem alteram, pro cuiuſuis Eccleſiæ cenſus ratio-
ne.

DE PATENA.

CAPVT LX.

PAtena ex eadem materia conſtare de-
bet, qua calicis cuppa, eodemq́ue mo-
do in aurata.

Forma verò ſit rotunda, in circum-
ferentia ita tenuis & acuta, vt adiumentum, ad ſa-
cræ

cræ hoſtiæ fragmenta accuratè facileq; colligenda, præſtare poſsit. Leuis vbique ſit, & artificio nullo ornata, aut cælata, ita vt ne circulum quidem circino profundiuſculè ductum habeat. Plana omninò ſit, niſi quod in medio concauitatem quandam leuem habere debet, quæ amplitudine calicis labra adæquet.

Quæ autem de Calicis lotione & munditia, diximus priori capite, ea omnia & ſingula de patena quoque intellecta volumus. Figuram infrà habes.

DE SACRARIO.

CAPVT LXI.

PEr Sacrarium, quod quibuſdam etiam piſcinam nominare placuit, hoc loco intelligimus Sacriſtiam, vel veſtiarium ſacrum, in quo & Sacerdos induit & exuit ſacras veſtes, & tota penè ſacra Eccleſiæ ſupellex aſſeruatur. De hoc enim ſupra capite 56. egimus. Quare ne hæc duo confundamus, & Lector æquiuocatione laboret, locum in quo ſacræ veſtes aſſeruantur, Sacriſtiam non Sacrarium, licet minus latinè, toto hoc libello vocamus. Hunc verò, qui effundendis aquis quodammodo ſacratis, & quibuſdam eiiciendis Eccleſiaſticis fæcibus paratur, ſacra-

rium appellamus: Cuius cum frequens mentio fiat in sacris Canonibus & rubricis, vbi sæpè dicitur, hoc vel illud comburatur & cineres in Sacrarium proiiciantur, &c. necessarium duximus, breuibus, qualis is locus esse debeat, hic adnotare.

Volumus itaque & mandamus, vt in omnibus Ecclesiis, in quibus vel Sacramenta administrantur, vel Missæ celebrantur, huiusmodi vbi non est, cum exiguis sumptibus paretur, Sacrarium extruatur. Duplici autem modo construi potest: Primo, vt imitetur penè formam fontis Baptismalis, nisi quod minoris amplitudinis esse possit, in fundo autem, qui ad ima descendens ad centrum se colligit, modo cacabi, foramen rotundum vel quadrangulum, habeat amplum satis ita, vt gallinæ ouum deuorare valeat, quo cineres, bombyces, ablutiones & reliqua huiusmodi, quæ eo iniiciuntur, excipere, & sine obstructione absorbere commodè possit. Debet autem hoc foramen per pedem seu collum veluti quidam canalis ad terram vsque, quæ iniecta excipiet, & paulatim absumet, ductum esse. Quod si frequentius infundi quædam oporteat, adeò vt terra, absorbendo non sit sufficiens, vt in celebrioribus Ecclesiis accidere potest, locus ille in quo Sacrarium est construendum, aliquantisper effodiendus, & cister-

na

na quædam, quæ omnibus effusis excipiendis sufficiat, paranda erit.

Alter modus est, vt in muro aliquo Ecclesiæ vel Sacristiæ, fenestella quædam, quadrata, oblonga, cum quodam eminente labio, ex lapide polito & secto conficiatur, altitudine à terra, quatuor circiter palmorum, foramen in medio habens, & iniecta per canalem, intra murum ad terram vsque deducens. Et hoc modo paucissimis expensis, sacrarium parari potest.

Locus autem in quo extrui debet, sit vel in Sacristia, id quod omnium commodissimum putamus, vel si id angustia ædificij non patiatur, ponè altare maius, vel in alia Ecclesiæ parte, à conspectu populi remotiore.

Vbicunque autem sit Sacrarium, & vtrouis modo fabricatum, operculo ligneo crassiusculo ac solido cooperiatur, & adhibita sera benè claudatur: clauis verò nemini nisi ipsi Ecclesiæ Rectori committatur.

Quodsi vel Ecclesia ita pauper sit, vel locus adeò importunus, potest dictũ Sacrarium in cœmeterio Ecclesię contiguo, hac ratione construi. Fossa fiat profunda tribus, ampla quatuor, plus minus palmis, quæ vndiquè ab intus (ima parte seu fundo excepto, qui vt iniectã aquam citius absorbere valeat

nullus relinquendus est) muro lateritio vestiatur, qui iuxta orificium nonnihil contractus lapide secto quadrato cooperiatur. In huius medio fouea quædam rotunda, plana excauetur, in cuius medio sit foramen amplum, vt pugnum quis inferre & reducere commodè valeat, per quod omnia proiicienda in Sacrarium iniici posſint. Et hæc tandem fouea alio secto, & iuxta ipsius foueæ amplitudinem benè accommodato lapide claudatur, qui in medio ferreum annulum, quo deponi & reponi posſit, habeat. Triplicem triplicis Sacrarij huius formam, infrà hoc loco expresſam inuenies.



Titulus

Titulus nonus,

DE VARIIS LINTEIS AD VSVM SACRIFICII conficiendis.

DE CORPORALI ET Palla.

CAPVT LXII.

SIngulari ſtudio curandum erit, vt corporalia, quippè quæ Chriſti Corpus (vnde & nomen acceperunt) immediatè attingunt, aptè, decenterque fiant, lauentur & complicentur.

Sint itaque ex tela candida & tenuiſsima, longa duobus palmis & medio, lata totidem, nihil vſpiam ornamenti habentia, ſed tantum filo ſimplici in fimbriis retorta. Auro tamen vel ſerico non amplius digito tranſuerſo intexta tolerari poſſunt, dummodo in medio his omnibus careant.

In Eccleſiis autem inſignioribus, ampliora pro altaris maioris ſeu ſummi, amplitudine, haberi conuenit. Simplicia ſint omnia: duplicata nulla. amido, poſtquam lota ſunt, leniter roborata, ne adeò indureſcant, vt rigida planè & intractabilia euadant, ſed explicata ad planum, vltrò ſe extendant.

Alternis autem mensibus mutanda sunt: idemque omninò de Palla, qua Calix in Missa cooperitur, intelligendum venit, nisi quod amido paulò vberius sit fortificanda. Quoad formam autem, hæc quadrata erit, & duplicari potest, vt firmius, dum Calicem operit, extensa maneat, ea quoque sit magnitudine, vt Calicem vbique abundè contegat, nec tamen sit nimis ampla. Eadem verò tela, qua ipsum Corporale (quippè ex quo veterascente Pallæ subindè confici possunt) constabit.

Studiosè insuper & magna diligentia inspicienda nonnunquam & examinanda sunt Corporalia, ne vllum vspiam, præsertim autem circa medium, & eas partes quibus hostia sacra in Missa imponitur, habeant foramen, quod si quædam ex quauis causa, vel etiam telæ vitio, licet minutiora habere deprehensa fuerint, ne micis sacris, si fortè (quod absit) indè dilabantur, irreuerentia aliqua contingat, in continenti, & sub graui pœna quantumuis preciosa, pulchra, munda, & ornata, remoueantur.

Et quoniam circa Corporalia eorundemque munditiem, maximam & penè intolerabilem quorundam, non sine singulari animi nostri dolore, & multorum piorum offensione ac scandalo, negligentiam vidimus, districtè, & sub pœna arbitrio

nostro

noſtro infligenda, præcipimus atque mandamus, vt eueſtigio Corporalia omnia ad præſcriptum lauari, & componi, & aliqua inſuper noua, vbi opus erit, confici procurent, mulctas & pecuniarias & Corporales, qui negligentes & ſegniores reperti fuerint, excuſationi omni ſecluſa, irremiſsibiliter experturi.

Antequam autem Corporalia, Pallæ, & Purificatoria Laicis lauanda tradantur, prius ab aliquo in ſacris conſtituto, in Sacriſtia vel Eccleſia, in eodem vaſe ſeu pelui, qua calices & patenas abluendos, ſuprà capite 59. diximus, aqua calida ſemel & iterum lauentur, & deindè in cumulum torta, vt aqua benè exprimatur, quæ tota in Sacrarium proiicienda eſt, Laicis, id eſt monialibus, vel certè aliis honeſtis & adultis matronis, tandem lauanda offerantur. Vbi autem lota ſunt, denuò benedici non indigent ſed immediatè ad Miſſæ Sacrificium adhibenda ſunt. prima etenim benedictio ſufficit, nec vlla lotione violatur.

Et in vniuerſum omnia, præſertim ex lino confecta, quomodolibet ad diuinum cultum ſpectantia, vt Albæ, amictus, mappæ, linteola, manutergia, ſudariola, ſuperpellicea, Purificatoria, Corporalia, item Candelabra, Cruces, Calices, Patenas, Tapetia, Panni, Thuribula, Nauiculæ,

culæ,cochlearia, vrceoli, peluiculæ, & si quæ sunt alia, frequenter quodlibet modo sibi competenti, ita lauentur, purgentur, excutiantur, & mundentur, vt nunquam sordida, immundáue (id quod piorum oculis non leuem afferre solet offensionem) in domo Dei, ac præcipuè in sacro sancti altaris ministerio, appareant.

Et quoniam horum omnium summa & præcipua cura (vt etiã supra propositis pœnis innuimus) Corporali impendenda est, placuit modum & instrumenta illius lotioni vsui futura, & verbis describere, & figura depingere, certò nobis persuadentes, plures fore sacerdotes, qui honore Dei adducti & negotij facilitate allecti, fessi studiis, & graui animarum cura lassi, ceu recreationis loco, Corporalia propriis manibus, vt maximè Presbyteros deceret, sint lauaturi.

Primo itaque hæc instrumenta sunt necessaria, coronix fiat ex ligno quercino quadrata 4. vel 5. palmis vndiq; longa,quæ in quatuor angulis firmiter cohæreat, intra illam alia quatuor ligna non coniuncta, sed dissoluta, & medio palmo, vel paulò amplius, quam coronix breuiora, ex simili ligno conficiantur, quæ à quatuor partibus coronici ab intus binis cochleis, quibus admoueri & remoueri valeant, nectantur, & hæc quatuor ligna tela crassiuscula,

ſiuſcula, quaſi ſacculis quibuſdam veſtiatur. Lotum itaque prius benè Corporale expandatur, & dictis quatuor ſacculis filo intorto fortiore, circum circa aſſuatur, ac deindè cochlearum auxilio, bene & firmiter extendatur.

Adſit dehinc amidum, quod ſic præparatur: Iniiciatur ipſa amidi farina in aquam puram & limpidam paratam in olla munda cruſtata, deindè adhibeatur igni, donec ebulliat, interim autem ſemper & continuo cochleare, vel alio ligno, maſſa moueatur, nec vltra tempus, quo quis Salutationem Angelicam ſemel recitare poſſet, feruere permittatur, quæ ab igne remota tepeſcat.

Iam verò cochleare hinc indè parcè ſupra expanſum, in coronicibus Corporale ſpargatur, & ligno cultri figuram leui & obtuſa acie repræſentante, æquè & benè diſtrahatur, & quaſi Corporali imprimatur, & vbi id ex vtraque parte factum fuerit, reſiduum ſi quid ſuper ſit, ſpongia munda, & madefacta, exactè & ſtudioſè colligatur.

